



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De
Westphalia & Saxonia Inferiori**

Hamelmann, Hermann

Lemgoviae, 1711

VD18 11397225

12. Epitome Chronici Osnabrugensis Libelli duo.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

EPITOME
CHRONICI
OSNABURGENSIS

â

PRUDENTISSIMO VIRO

ERTWINO ERTMANNŌ,

Confule quondam Inclytæ urbis Osnaburgæ,
conscripti,

Quæ continet brevem explicationem & declarationem
earum rerum, quæ in duobus prioribus libris, succinctè
ex KRANTIO collectis, relatæ sunt,

Atque eas plenissime refert,

*Quæ à Krantio omittuntur, & tamen ad OSNABURGEN-
SIUM historiam pertinent,*

Autore

HERMANNO HAMELMANNO,

Osnaburgensi.

LEMGOVIÆ, Anno 1564.

Eeee

Lectō-

LECTORI S.

Quem ordinem in prioribus libris observavimus, eundem et nunc sequimur, dividentes hanc Epitomen in duos libros, quorum altero sacra, altero res gestas breviter explicamus, eaque prolixius tractamus, quæcunque in Krantio describuntur. Si hic sint, qui meum institutum mihi vitio vertant, sciunt à me hoc factum esse in gratiam patriæ, ut à multis cognosci & legi posset integra historia Osnaburgensis urbis & civitatis: quia cum descripta tantum apud tres quatuorve Ertwini Chronici exemplaria extant, ad paucorum notitiam etiam & historiæ patriæ nostræ perveniunt: vix quoque aliqui reperiuntur, qui Ertwini Chronicon prolixum curent describi propter magnos sumptus: Interim si qui sint, qui hoc faciunt, committitur tamen sæpe error inter describendum à scriptoribus, qui vetustiores literas, abbreviationes & dictiones in antiquis membranis non percipiunt: Præstat ergo nunc excusam, incorruptam & integram extare apud omnes nostræ patriæ historiæ, quam apud paucos asseruari inter parietes. Non dicam nunc, quantum ego laboris impenderit, ut sæpe verba, dictionesque aptius collocarem & magis Grammaticè mutarem, quanquam quedam Ertwini dicta & verba studio quodam retinuerim.

Reverendis, Eximiis, atque spectatis Viris ac
 Dominis,
 Domino GISEBERTO BUDDÆO,
 Præposito nobili,
 Et
 Domino CONRADO de CASTRO,
 LL. Licentiato doctissimo, Decano,
 Necnon Seniori ac reliquis Canonicis celeberrimi Collegii Neo-
 politani in Inclita OSNABURGA, &c.
 Suis Dominis & amicis colendis,
 HERMANNUS HAMELMANNUS,
 Licentiatus Theol.
 S. D.

Cum Brevis, venerandi & Eximii Domini, in hoc primo libro Epito-
 mes Chronici Osnaburgensis, quod Dominus Ertwinus, Consul
 ornatissimus, instigante & hortante etiam ad hoc ipsum vestro per id
 tempus Præposito Lamberto de Beuessen / viro docto, copiosius descripsit,
 (quanquam hic & in prioribus jam ex Krantio editis de rebus Osnaburgia-
 dum, libellis, omnia illa breviter complexi sumus, quæ ad perfectam historia Os-
 naburgensis cognitionem pertinent) describatur initium vestri Splendidi &
 celeberrimi collegii, non potui omittere, quin propter illas duas causas V. R. in-
 scriberem hunc primum librum, & his adhuc alia graviores accedunt, quæ
 me ad hanc dedicationem commovent, primo, quod non solum sub V. R. patroci-
 nio educatus sum, sed in vestra Schola sub D. Christiano Sleibingio, D. Wil-
 helmo Santphurdio & Joann. Ranthio Vechterensi, quibus hoc nomine debi-
 tor sum eruditionis meæ qualiscunque, prima initia & certa fundamenta jec-
 rim (licet in gravioribus etiam studiis, postea in Senatus civiumque Schola quo-
 que usus sum D. Christiani Sleibingii opera) Fuit quoque meus pater EVER-
 HARDUS HAMELMANNUS, qui adhuc in simplici senio superest, vestri
 collegii membrum ad annos 48. fuerunt etiam in eodem multi Canonici mei
 amici: M. Joannes Mellinckhusius, quondam Decanus vester, meus &
 multorum doctorum studiosorumque patronus fuit & me amavit unice. Jo-
 hannes Goitlingius, quondam Cantor, Jodocus Grubenius, olim Thesaurar-
 ius, & plerique alii amici fuerunt mihi & patri: Suntque adhuc inter vos, qui &
 Eccc 2 mihi

mibi & prædicto parenti meo addicti sunt, ut opinor. Erat ante annos 29. in eodem collegio senior, meus cognatus Dominus Everhardus Voltlagius, Doctor Decretorum & Juris, vir ingeniosissimus & doctus, atque Præpositus ad S. Andream Wormatiæ, ac Thesaurarius summi templi Mindensis, de cujus memoria ac acumine iudicii ingenitque testatur adhuc vivus, vir venerandus & clariss. M. Christianus Sleibingius, qui ejus olim patrociniū sensi: Est nunc Scholasticus vestri quoque collegii meus amicitus & cognatus Dominus Joannes Meiringius. Accedit postremo & hoc, quod tecum reverendè Dominè Decane ac Licentiate eximie in iisdem studiis ac in una schola amantissimè versatus, firmam amicitiam contraxerim, quam etiam tua H. hæc enim tunc inviolatam prosequitur. Hæc & similes causæ me compulerunt ad hanc dedicationem. Sed ut interim ad initium vestri collegii revertar, plane mihi perindeo, Theitmarum illum, qui autor est vestri Splendidi collegii, fuisse pium & doctum Episcopum, & nihil aliud spectasse in fundatione istius collegii, quam ut pro more antiquorum collegiorum ibi floreret veritas & studia literarum, ut olim in collegiis consuevit fuit. Nihil equidem aliud fuisse collegia ante annos plus minus Sexcentos, quam Phrontisteria & seminaria doctrinæ & Christianæ pietatis, ut prolixius alibi ostendi. Quod ad pietatem attinet, specimen aliquod præbuit istius vestrum collegium superioribus annis, quando Reverendissimus & veræ religioni deditissimus Princeps Dominus FRANCISCUS Waldechianus, Episcopus Osnaburgensis, &c. per M. Hermannum Bonnum, doctissimum, piissimum & clarissimum virum, reformaret Ecclesias juxta doctrinam Evangelii tam in ditone, quam urbe, ex suffragio Inclyti Senatus, quia tunc tantum apud vos pii Psalmi canebantur absque omni superstitione. Quod vero vestrum illud splendidum collegium per Interimisticam scabiem ad Pontificia sacra redactum & retractum præstea sit, & in eo manere cogatur, & doleo, & sæpe deploravi hætenus, scioque multos ex vobis esse, qui mecum non levi ob eam rem dolore afficiantur, qui etiam optare credo, ut veræ religio restituatur & omnis superstitio procul a vestro possit esse collegio. Et tales etiam ab initio in vestro fuere collegio: Dominus Joannes Marcellus, quondam Decanus & Cancellarius Erici Episcopi, &c. legit diligenter opera & scripta Lutheri, ejusque successor Mellinckhusius, ut erat doctus, ita amavit veram de CHRISTO doctrinam & religionem, & spero plures esse adhuc apud V. R. istis similes, qui cuperent ex animo veram reformationem collegiorum. Valeat V. R. Domini Eximii, & meam hanc dedicationem boni consulat. Volui enim aliquam mei grati erga V. R. animi significationem hoc publico Scripto præbere.

LIBER PRIMUS

Ex

CHRONICO

ab

ERTWINO Consule collectus,

Sub

CONRADO DEIPHOLTICO, Episcopo
Osnaburgensi,

Qui Supplementum vel additionem eorum, quæ *Krantius*
non habet, & tamen ad veram Osnaburgensium historiam
requiruntur, continet.

CAROLUS anno 772. 29. Martii celebravit Osnaburgæ Pa-
scha, & tunc ibi præfecit WIHONEM, qui consecratus est
ab Episcopo Leodiensi Engelfrido: WIHO autem in Eccle-
sia omnia ordine disposuit, ordinavit Diaconos & Sacerdotes,
& vita, moribus, doctrina, verbo & exemplo vere antistitem & Pontifi-
cem retulit, ipse prædicavit & alia pietatis officia exercuit per 32. annos,
& obdormivit anno 804. in Aprili.

MEINARDUS II. Pontifex Osnaburgensis, sanctus vir, præfuit Eccle-
siæ 29. annos, & mortuus est anno 829.

Huic successit GOSUEWINUS vel GOSWINUS III. Episcopus,
qui rexit Ecclesiam per annos 32. & mortuus est anno 855.

GOSBERTUS IV. Episcopus possedit Ecclesiam per annos 9. mor-
tuusque est anno 864. 3. Aprilis, hic fuit Suevus, & cum potentia quorum-
dam esset ab Ecclesia remotus, opera Cobbonis est restitutus, & mortuus
est eodem die & anno Cobbo, quo Gosbertus.

EGBERTUS succedit, per annos 10. occupans sedem Episcopalem,
& moritur anno 874. 19. Aprilis sub Carolo Crasso.

EGILMARIUS VI. Episcopus præfuit Ecclesiæ annis 33. & mortuus
est anno 907. 3. Aprilis, cujus diligentiam, studium & eruditionem
comprobant literæ, quas ad Stephanum Papam dedit.

DODO Episcopus VII. tredecim annis (quanquam alii ejus Præsulatum
ad plures annos extendant) præfuit & mortuus est 934. anno. In privi-
legio, quod ille impetrasse dicitur, vocatur fidelis servus.

Eeee 3

LU.

LUDOLPHUS IX. *Episcopus, cognatus Ottonis II.* ut privilegium ab illo datum indicat, mortuus est anno 983. 30. Martii.

DODO II. vel DOUDO obtinuit Ecclesiam sub *Ottono II. & tertio*, & mortuus est anno 996. 12. Aprilis.

Hic *Krantius* quosdam præterit, quos non habuit *Præsules*, eorumque nomina. Nam post *Dodonem II.* suscepit *Episcopatum* & fuit *Præsul* GUNTHERUS, de quo sic legitur in *vita Deithmari*, qui postea factus est quoque *Episcopus Osnaburgensis*, (quam vitam descriptit *Episcopus* quidam *Mersburgensis* nomine *Deithmarus* in suo *Chronico*) quod *Guntherus* fuerit *Sacellanus* & *Camerarius Archiepiscopi Magadunensis Gisselleri*, atque *amicus Deithmari Episcopi Mersburgensis*. Hic vero legatus ad *Cæsarem* missus est & ab *Imperatore* clementer exceptus & exauditus: prima interim nocte decumbenti apparent ei in somnis *Crispinus* & *Crispiniannus*, offerentes ipsi *Gunthero* *Episcopatum Osnaburgensem*, habebantur enim tunc illi duo quasi *patroni* ejus *Ecclesie*, sed *fictionem* ipsum vero respondisse, si *DEO* placeat visumque fuerit: mox altero *tertiam* die venerunt in *Italiam* ad *Imperatorem* *legati Osnaburgenses*, offerentes *insignia Pontificalia Episcopi defuncti* & petentes *sibi alium substitui*, ilico *Imperator* eis *Guntherum* offert *Episcopum* licet *infirmum*: paululum restitutus descendit *gravi itinere* cum *legatis* & venit *Osnaburgam*, ubi à *clero* & *populo* honorifice excipitur, ibique sæpe *agrotans* tantum *quatuor annis* præfuit *Ecclesie*: Fuit autem, ut *Episcopus Mersburgensis* scribit, *vir justus*, *timens Deum*, *castus* & *mitis*: Mortuus est anno *millesimo*, successit ei *WOTHILOLOPHUS*, qui tamen in *vita Theitmari Wannonus*, & etiam *Wacholphus* dicitur, *Episcopus* 12. qui tantum *duos annos* administravit officium, in *Ecclesia* mortuus 1002.

THEITMARUS XIII. *Episcopus*, ut ex *Chronico* ipsius cognominis *Theitmari* vel *Detmari Episcopi Mersburgensis* & *vita* ejus, quæ scripta extat in collegio *S. Joannis*, cognoscitur, fuit *origine Saxo*, & puer tractatus est *Scholis* urbis *Magdeburgicæ*, ubi ita profecit, ut jam *progreffus* tam *ætate* quam *literis* *Canonicatum* ad *S. Mauritium* promereret, cumque in eo *radii* se *virtutis* ac *doctrinæ* *ejacularentur*, plurimum *estamatus* ab *Episcopo Magdeburgensi Gyselero*, qui ipsum ut *dignum* ad *sacros ordines* promovit, quoniam sæpe *usus* est ipsius *consilio* & *rationibus ingeniosissimis*, itaque *dilexit* *hominem* plurimum: postea illum *largitua benedictione* ditatum mittit ad *Wylsigum Episcopum Maguntinensem* *expetentem* aliquoties nostrum *Dithmarum*, ubi *utiliter* *Ecclesie* *Maguntinæ*

tinæ atque simul ipsi Episcopo servivit, & diligenter laborando in vinea Domini ac piè vivendo omnibus probabilis factus est, imo ipsum propter prudentiam ac morum suavitatem probitatemque quasi in delitiis habuit Maguntinus Præsul: Hoc cum Imperator sanctus *Henricus II.* olefaceret, petebat ipsius operam & præsentiam ab Episcopo Maguntino, cum igitur apud Imperatorem ageret, ornavit illum mox *Præpositura Aqueensi*, quam utiliter rexit pervigil in Dei opere, sollicitus in suo munere, DEO devotus, in externis subjectus regi, in commissis sagax & providus. Vacante igitur *Osnaburgensi Ecclesia* ipsum *Dithmarum*, ut vere idoneum isti muneri, promovit ibi ad Episcopatum ex communi consilia- riorum suffragio, quem mox *Heribertus Coloniensis Præsul ut Metropolita- nus consecravit* Pontificali benedictione: fulgebat ille Pontifex in Eccle- sia Osnaburgensi ut lucifer: est etiam ad consecrationem Ecclesie *Babenbur- gensis*, tunc primum fundatæ ab *Henrico sancto*, evocatus ab eodem, ubi cum 30. Episcopis gaudia dedicationis celebravit: fuit etiam in Synodo *villa Regia Dormunde, Trotmunde*, præsentem ipso *Henrico II.* cum *Archiepif- copis, Episcopis ac Abbatibus*, ubi conficiebantur multa utilia Decreta, quibus ille cum reliquis subscripsit, atque laudabili vita se in omnium amicitiam insinuavit: Hic fuit sedulus prædicando, intentus in orationi- bus, assiduus in divina lectione, atque elegans studium exercuit medi- tando & scribendo, multosque libros conscripsit: *Libros 50.* sua indu- stria conscriptos donavit *Bibliothecæ Osnaburgensi: collegiatam S. Joannis Baptistæ Ecclesiam in suburbio* cum fundatione *Præposituræ & adunatione & conjunctione Canonicorum* fundavit & extruxit ex ipso fundamento in eum finem, ut in DEI servitio & sancto famulatu assidue meditentur & orarent, &c. Atque de hoc *Deitmaro* nihil habet *Krantius, &c.*

Decimus quartus Episcopus factus est *MENCHERUS* quem alii *Mei- nerum* vocant.

Decimus quintus erat *GOSMARIUS*, à *Conrado II.* donatus Osnabur- gensi Episcopatu anno 1020.

ELVERICUS fuit 16. qui annis 15. præfuit Ecclesie, & dicitur mi- grassse ex hac vita anno 1052.

WERNICHERUS vel *BENNO I.* Episcopus 17. quoniam vetustæ literæ ac libri, ipsum *BENNONEM I.* vocant, alii tamen illum *Wer- nicherum* appellant, forsan utrumque nomen habuit, mortuus est, 1068.

Decimus Octavus fuit *BENNO II.* quem alii *Bernbardum* appellant, hic

hic cum proficeret scientia & multifariis virtutibus ab Episcopo Hildesimensi Erelino in Ecclesiam suam vocatur ad instructionem Scholasticorum, deinde ea laude in isto versatus est officio, ut mox Præposituram vel Præfecturam administrationis totius curiæ Episcopalis consequeretur, quanquam id coactus & quasi invitus susciperet: Ita tandem ad Ecclesiam Osnaburgensis Præsularum est promotus, & anno Domini 1069. Calendis Januarii ab Annone Archiepiscopo Coloniensi & cooperantibus Ederico Monasteriensi, (qui erat Marchio Misnensis) & Eilberto Mindenensi Episcopo consecratus est. Ipse veniens Osnaburgam in die purificationis sive continue cœpit seminare verbum Dei: Reformavit Moniales in Synodo atque cepit extruere Gertrudis cœnobium in monte ad viciniam civitatis, & formavit ibidem omnia claustralia officia: extruxit arcem & cœnobium in Gborg, juxta regulam D. Benedicti, idque fecit non ex bonis Ecclesiæ, sed ex aliis quibusdam prædiis emptis à nobili vidua Cimissa Honswiler facta permutacione restituit pretium pro prædiis, providitque cœnobio de istis: Deinde, quia ille moribus, exemplo, & vita clero & populo præfuit, voluit etiam pios Monachos in novo esse Monasterio: itaque petiit à Maguntino Abbate ad sanctum Albanum quosdam mitti, quosdam etiam à Abbate S. Panthaleonis Coloniensi: sed cum isti peregrini monachi inciperent irregulariter agere, remisit illos ad suos, prius evocatis nonnullis ex cœnobio Mindensi ejusdem Benedictini ordinis, quos retinuit ibi, atque cum ipsis diligenter oravit & Deo servivit. Nam raro exivit, nisi gravi compellente causa, tantum quod dominicis diebus ipse Osnaburgæ docere populum & missarum solemnias celebrare solitus esset. Postremo cum ibi sacra absolvisset & repeteret Iburgum, dixerat in itinere, se non amplius visurum urbem: Et mox febri correptus, etsi uteretur medicina, & putaret ibi non nihil adversi in itinere ex tempestate contigisse, tamen cito animam egit, sed prius omnibus piè dispositis & confessione fidei reddita coram Abbate novi cœnobii. Mortuus est & in suo novo cœnobio sepultus traditus.

MARQUARDUS, Abbas Corbiensis, mox eligitur, sed cum sex annis præfuisset, deponitur, eique succedit WIDO, qui mortuus est anno millesimo centesimo primo. Atque hic apud Krantium 4. desunt. Succedit Widoni JOHANNES XXI. Episcopus, qui præfuit Ecclesiæ 9. annis circa annum Domini 1111.

Huic succedit GOTSCALCUS de Deipholte/XXII. Præsul ex Præposito Mindensi factus Osnaburgæ, qui per annos 8. præfuit piè, & mortuus est Iburgi, ubi etiam sepultus est anno 1119.

Vigésimus tertius Pontifex fit DEITHARDUS, electus à Capitulo & præsentatus Colonienſi Præſuli 11. Aprilis, mox ab illo in die Palmarum conſecratur: gubernavit Eccleſiam per annos 18.

Huius ſuccedit UDO gubernans 4. annis Eccleſiam, qui in honorem Dei, in monte dicto S. Gertruds Berg / ad mœnia civitatis Osnaburgensis conſtruxerat (forſan perfecerat) monaſterium. Illud cœnobium eſt à Conrado de Deipholt reformatum anno 1475.

PHILIPPUS, Comes de Katzenellenbogen / ſuccedit, ſub quo Ludolphus de Djeede erexit cœnobium, quod etiam ille Præſul ratum habuit & ſuis bonis ornavit, curavitque ut cœnobium monialium quoque in Quernhem fundaretur, quod multis donis, bonis, prædiis & villis dotavit. Donatio prædicti Ludolphi eſt facta in præſentia Præpoſiti Arnoldi & totius Capituli, in præſentia inquam Florentii de Schowenberg & Arnoldi de Droſcat / anno 1175. & Arnoldus Droſcat accepit iſtam donationem nomine Eccleſiæ. Retinuit tamen Ludolphus ſibi & poſteris advocatiam cœnobii.

ARNOLDUS, Præpoſitus, ſucceſſit in Episcopatu, ſub quo auctio bonorum cœnobii in Djeede facta eſt, præſuit annis 22. laudabiliter Eccleſiæ.

Legitur in tabula Episcoporum Osnaburgensium de quodam GERHARDO Episcopo, (quem conſtituunt quidam, & ipſe etiam Errwinus, XXVII. Episcopum) qui poſtquam non magna cum laude rexiſſet, mortuus eſt tandem & ſepultus in cœmiterio B. Viti, ſine reverentia. Unde Rithmus Germanicus: Gerdt Biſchoff iſt von kleinem Lave / Liegt auf ſunt Vits Have / &c. Atque hunc putant Gerhardum de Lippia fuiſſe, ſed is, teſte Krantio, quod etiam ex diverſis probat Chronicis noſter Errwinus, translatus eſt ad Bremensẽ Eccleſiam: Itaque hic error eſt.

GERHARDUS de Lippia Comes, ſine dubio priori Gerharde ſuccedens, præfecit Monaſterio in Harſebroch ſororem ſuam Beatricem Abbatiffam in Verſen / quam inde tranſtulit, ut hoc cœnobium reformaretur. Sub hoc fuit quidam Reynerus eremita duriffimæ vitæ, qui ſe voluit alicui loco ſoli includi, ubi etiam rigide vixit, & ſuum corpus contra doctrinam Pauli multis affectis incommodis, tamen Errwinus illum magnis encomiis celebrat, & optavit devote iſtius Canonizationem fieri debere & poſſe à Papa.

ADOLPHUS XXIIIX. Episcopus ornavit Theſaurarium Archidiaconatu in Damme / Nienkerken / Steynvelde / Voen & Vechta de conſenſu Capituli, & Cantori assignavit Archidiaconatum in Anchem / Byppen / Bers

Bergen/Batbergen/Barsenbrug & Alphusen / ea tamen lege, ut Capitularibus 40. solidos diversis vicibus in festo Bernhardi & die purificationis inde distribueret, aliaque ceremonialia inde fieri quotannis voluit: facta illa sunt anno 1221. deinde donavit *campum quendam in Lintberg Ecclesia Osnaburgensi* in eum finem, ut quotannis festum *Catharinae* observarent. Auxit etiam custodibus summi templi stipendium, adjecto illorum officio, beneficiolo dicto vulgo *Syntropen*. Hic libenter pauperes fovit & visitavit, & liberavit Canonicos suos a clericis ab exuviarum solutione, confirmante hoc *Honorii Papa Praefuit Ecclesiae 21. annis.*

ENGELBARTUS, (quem *Krantius* non habet) Comes de *Wittenborg* / elegerat vitam Monasticam, in qua etiam religiose vixerat, tandem opera fratris Ottonis, potentia & divitiis late dominantis, obtinuit et si invitus, apud Imperatorem, Ecclesiam Osnaburgensem, quae *annos 24.* bene praefuit Ecclesiae suae.

BRUNO, *Isenburgicus Comes, XXX.* Episcopus controversiam de *ratione Ecclesiae Widenbrugenfis, Bramescanae, in Melle & Disfen* inter Episcopos & Canonicos ita diremit, ut semper uni ex Canonicis una contingeretur per Episcopos, utque *Prapostus Widenbrugenfis* ex Capitularibus Osnaburgensis Ecclesiae assumi deberet, disposuitque quaedam in *cede D. Virginis & Catharinae*, quo religiose & ordine quodam sacramenta administrarentur & sepulturae legitime fierent. Ex *Parochia in Cledehusen* sua aula *Capellaniam*, ut Sacellanus Episcopi illius Parochiae reditus habeat, plebanus vero ibidem ex agris & dono altaris aliusque vivat.

Sequitur WEDEKINDUS, *Comes de Wastegge/XXXI.* Episcopus, qui terram incultam in mericis intra urbem novam & viam *Hittage* / iuxta viam Regiam, de consensu Capituli utriusque & Consulium ac eorumque vulgo vocantur *Erfferen*, distribuit, & inde procuravit Canonicis majori Ecclesiae album panem, eaque sunt facta anno 1262. Calendis Februarii & utriusque Capituli sigillo tum etiam *Wedekindi*, & civitatis sunt roborata ista: Provide rexit Ecclesiam suam per *annos 7.*

BALDUINIUS de *Rustle* / confirmavit privilegium sui antecessoris olim *Brunonis* de collegio *Widenbrugenfi*, & controversiam sopivit, quae erat inter *Capitulum Cathedrale & Episcopum*, &c. novo privilegio dato anno 1258. in die *Galli*, ut extat apud Capitulares: totum privilegium recitat *Ertwinus*. Balduinum & *Wedekindum* sub uno comprehendit Episcopatu *Ertwinus*, quod ita fieri credo, quia videtur dicere *Wedekindum* non fuisse consecratum.

CONRADUS de *Netberg* Episcopus sequitur, qui etiam transtulerit collegium *Quakenbrugense in Bramesche*/ tamen reliquit suum jus Canonicis. Solebat enim Episcopus alicui canonicorum conferre Ecclesiam *Bramescanam*. Itaque nunc in istum locum repromisit per datum privilegium anno 1275. collationem Ecclesie in *Laoder*/ quae habet annexam *Glandorp* Parochiam, ita ut Canonicus, possidens istam Ecclesiam in *Laoder* curet per idoneam personam ex vicaria in *Laoder* annexam Ecclesiam probe administrari. Praesuit 28. annis Ecclesiae bene, & deinde abiit ad Dominum.

Huic successit LODOVICUS, Comes in *Ravensberg*/ primo Praepositus ad S. Joannem, deinde Episcopus laude & memoria dignus, qui rite ordinem Episcopalem observavit, & per seipsum Ecclesias & altaria consecravit, praeterim *Chorum & altaria coenobii in Nulle*/ Cistericensis ordinis, &c. Fuit etiam circumspexerit & pervigil. Congressurus, saepius lae cessit, cum suis potentissimis hostibus, prius jejunium indixit & multis devotis sacramentum porrexit ipse, tandem congressus hostibus in *Hallervelde*/ feliciter pugnavit: Hinc est fundata capella S. *Georgii* in urbe (cujus idolon isto annuo die postea circumferri solebat) & singulis annis illo recurrente tempore solebat Senatus eleemosynas generaliter dare hoc nomine. Rexit per 12. annos laudabiliter. Fuit Svasor *Otoni* Patri suo de *Ravensberg* Comiti ejusque uxori *Hadiwiga*, ut collegium in *Bilevelde* fundarent de consensu suo, cui etiam fundationi ille partem sui patrimonii attribuit, atque huic constitutioni consenserunt *Ludovici fratres*, *Hermannus* Praepositus *Tungerensis*, *Otto* Canonicus *Osnaburgensis* & *Bruno*, filii *Otonis*.

Sequitur ENGELBERTUS de *Wenge*/ ex militaribus prospiciens suae Ecclesiae, &c. Post illum eligitur GODEFRIDUS, Comes de *Arnsberg*/ qui pontificale officium exercuit, & *Monasterium Nulle* anno 1364. consecravit in die *Philippi & Jacobi*. Sub hoc fuit quidam nobilis *Theaurarius* Ecclesiae majoris *Simon*, de *Netberg* Comes, qui pretiosas vestes & libros missales magnis scriptis sumptibus contulit Ecclesiae, de quibus *Rithmicos* recitat versus *Ertwinus*.

Fit deinde ex provisione Apostolica, cum respueret Episcopatum *Doctor Lubertus Wend*/ manens religiosus, Episcopus JOANNES HED/ *Doctor*, quem olim puerum instruxerat quidam *Monachus Marienfeldianus*, vir literatus & prosa versuque foelix *Conradus Essene*/ qui soluta oratione & ligata multa amplissime scripsit de hoc novo Episcopo suo olim

discipulo, primo quod non more Episcoporum aliorum, neglectis spiritualibus, curaverit tantum secularia, sed quod omnia ut verus Episcopus administravit, unde versus illius quidam sunt hi:

Osnaburgensis micat infula luce Diei,

Cum tenebris densis nox quoque cedat ei.

Quam fugat his annis lux Præfulis orta Joannis,

Et dans nomen ei gratia larga DEI, &c.

Hic Episcopus ornavit infulis & aliis clenodiis Cathedralē Ecclesiam. Cum esset tunc magna dissolutio clericorum per Alemāniam, quodam solo vocabulo essent clerici, atque notorii excessus in vitæ honestate & dilatazione vestium, Innocentius Papa misit *Wilhelmo, Colonienſi Archiepiscopo*, Apostolicam reformationem communicandam suis suffraganeis quod etiam factum est, quæ utinam (inquit *Erwinus*) hodie renovatur propter nimiam quorundam in *Minda* urbe ac alibi Canonicoꝝ dissolutionem, qui vulgaribus tegminibus & aliis illicitis utuntur vestimentis. Dedit Ecclesiæ ad S. Johannem Decretum sua manu solertissime correctum ipse *Joannes Hoed*.

Post hunc venit MELCHIOR, de *Brunsvicâ Dux*, ex provisione Romana consequens Episcopatum; quo translato ad *Svevicensē Episcopatum* per Papam, succedit THEODORICUS de *HOMME* vir strenuus & insignis, qui cum Castellanis arcis *Hunteborg* Ecclesiam fundavit ibidem, atque *mitram Episcopalem cum ornamentis insignibusque* suis Ecclesiæ contulit, ac simul *Capitulo argenteam amphoram*: Atque *Senatui* quoque *Osnaburgensi* contulit similiter *argenteam amphoram*; *Edificavit* etiam *Curiam, cubile & alia* in Neapoli Osnaburgensi. Cum vero annis 25. præfuisset, mortuus est.

Eligitur HENRICUS, *Dux Slesvicensis & Comes Holsatiæ*, qui fuit pius, & ut percepit à venerabili *Requino de Rassenbrock* (ait *Erwinus*) Abbate quondam *Iburgensi*, summo mane ingressus fuerat templum cum suis Capellanis & subditis, & devote oraverat atque honeste vixerat: Sed cum bene ita & laudabiliter regere incepisset, revocatur in patriam propter mortem fratris: renunciavit igitur suo juri & Episcopatu: *Extruxit & exornari tamen curavit Cameram in Bastenmow* quam suis insignibus & aliis instructam voluit: Est postea revocatus in patriam.

Eligitur tunc à Capitulo victoriosus OTTO, *Comes de Hoya Episcopus Monasteriensis*, qui fit Osnaburgensis Ecclesiæ administrator, quam in commendam suscepit, &c.

Post Ottonem qui strenue rexit omnia, fit Episcopus JOHANNES de Deipholte / qui juvenis pervenit ad Episcopatum, sed crevit moribus & virtutibus plurimum atque in magnum evasisset virum, nisi morte præventus fuisset, hinc versus de Illo sunt:

Inclytus Antistes est de Deipholte *Joannes*,
Laudes virtutum fert, stigmata nobilitatis
Moribus ornavit &c.

Eligitur deinde ERICUS, de *Hoya Comes*, in administratorem Ecclesie Osnaburgensis, quoniam voluit retinere Præposituram Coloniensem, itaque non Episcopus sed administrator tantum dici debuit, (quod tamen hodie tam stricte non observatur) rexitque Ecclesiam per quatuor annos bene, tuncque orta discordia, removetur ille, & eligitur HENRICUS de *Morsa Comes, Episcopus Monasteriensis*, qui impeditus bellicis tumultibus nihil fere in sacris egit. Huic succedit ALBERTUS, *Hoyensis Comes, Mindensis Ecclesie Præsul*, qui tantum tribus annis præfuit; post quem eligitur RUDOLPHUS, de *Deipholte Comes, & Trajectensis Episcopus*, (cui Epitaphium scripsit *Alexander Hegius*, & plurimum ipsum celebrat) sed is morte præventus non pervenit ad possessionem, atque in ejus locum statim eligitur Inclytus ipse ex fratre nepos CONRADUS Præpositus, qui fuit pius, humilis, & pacificus Episcopus, multis virtutibus ornatus, atque reformavit omnia cœnobîa ordinis Benedicti in *Yborg, Hassebrock, Ojede / in monte Gertrudis* ante urbem & *Malgeren* / strictissime juxta ordinem Benedicti: Post quem ipse cognatus, quem de fonte levaverat, succedit CONRADUS de *Netberg* / qui in Curia Romana versatus erat & Italice non minus quam Germanice potuit loqui, hic etiam fuit industrius & bonus Præsul, qui reformavit cœnobîa in *Quernhem & in Kulle* &c. De cæteris successoribus nos diximus in primo libro, &c.



CHRONICI
OSNABURGENSIS
EPITOMES

LIBER SECUNDUS,

Qui secularia & res gestas, Historiamque ditionis &
urbis Osnaburgensis continet,

Et quæ à KRANTIO non referuntur diserte
trahit,

*Splendidissimis, Prudentissimis, Eximiis & Piis
Dominis,*

Domino LUDOLPHO ab HONSTEN/
Domino EVERWINO à DUMPSERD/
Domino HENRICO LOTMANNO, Consulibus,

Ac CELEBRI SENATUI

Inclytæ & antiquæ Reip. utriusque in clarissima urbe An-
gironum Westphaliæ OSNABURGA, &c.

Suis Dominis Patronis

Ac conterraneis cum propter multas alias causas, tum
propter communem religionem unice
colendis,

Vaticinatus est Ertwinus Ertmann / Consul vestre laudatissima urbi
quondam, vir admodum prudens, doctus & gravis, (cujus hic Chro-
nicon brevius & compendiosus contra actum, ac quoad verba correctum
damus) Proceres celeberrimi, de vestra Rep. illam quidem opibus florivimus
sed aliquando maturo consilio destituendam: Hoc profecto vaticinium tanti vi-
ri propediem re ipsa in actum abiit atque in effectum produceretur, si ita seu-
mors suas exercere vires pergeret in graves quoque & prestantes viros vestra
urbis, quemadmodum jam inde ab eo tempore, quo recordari potui, fecit
quando optimi & lectissimi quique viri mihi etiam noti, ordine deficientes an-
m. 1688

mam egerint in vestra Rep. non sine jactura communis politia. Deus bone, quam
 Splendidi erant viri, qualia lumina patria, quam præstantes Reip. vestra guber-
 natores, qui sub annis triginta occubuerunt? puto Conradum ab Horne/ Ert-
 winum Ertmannum juniorem, hujus nostri, de quo hic agitur, filium, Mar-
 tinum ab Horsten/ Henricum Storkium, Doctorem Jodocum Rolan-
 dum, M. Jodocum Hetlagium, Jodocum Barnefurum, Lucam Entho-
 vium, Consules veteris urbis, & deinde Neapolitanos Consules, Joann. Rotge-
 rum Remesniderum, Engelbertum à Glanen/ Reinerum Gotlingium,
 Joannem Stegemannum, Conradum Hetlagium, taceo Præfectos ararii &
 Senatores, Hermannum Lubbeckingium, Jodocum Wesselingum (cujus
 filiam nunc duxit D. Christianus Sleibingius) Johannem Sturmannum,
 Theodorum Bremerum, Balthasarem à Steinforth & similes, qui pro-
 fecto, si eis longior vita fuisset, prout digni erant, ad culmen suprema dignita-
 tis in vestra Rep. ascendissent: omnes autem illi, quos recensui tam Consules
 quam Senatores, viri erant graves, prudentes & pii, in quorum locum V. Excell.
 non solum constituta est, sed omnes antiquos illos Patres pietate & virtute
 refert, atque ita majorum vestigia ingreditur. Cum autem hanc Epitomen
 ex Chronico Ertwini, quondam vestrae urbis laudatissimi & tunc famigerati-
 sissimi Consulis, qui suo tempore vestra Reip. & toti ditioni ornamento fuit, &
 autoritatis apud Heroes magna, nec non judicio, atque consilio eruditioneque
 admodum valuit, & hoc sub Conrado Deipholdio, Episcopo ante annos 70.
 scripsit, contractam & congestam edam; volui etiam illam, qua proprie vobis
 hoc nomine debebatur, inscribere V. Excell. & amplitudini, Patres conscripti
 & Proceres splendidissimi. Quomodo enim potui præterita vestra præstantia hic
 alios Patronos eligere? In hoc libro res & facta Osnaburgensis Reip. & di-
 tionis tractantur, illaque sunt quoque à Consule urbis vestrae Osnaburgensis
 primum profecta, & à me nunc, qui in vestra urbe natus sum, in publicum pro-
 trudentur: addo & hoc, quod in hoc libro secundo sic satis prolixè præcipu-
 um locum habeat vestra urbs & Resp. quoniam describitur hic, quam præclare,
 quam victorioso & quam animose suo Domino auxilia tulerint & hostes repres-
 serint Senatus & cives Osnaburgense, ac demum quomodo libertatem suam sæ-
 pe vindicaverint. Adeo autem patriæ observans & amans sum, ut etiam
 meis expensis hac in lucem dare non gravatus sim, quò amorem erga patriam &
 præsertim erga V. Excell. Remp. splendidam testarer. Quem meum affectum
 bonum & pium animum ut vestra Præstantia boni consulat etiam atque etiam
 rogo. Et quanquam tunc valde floruerit Resp. Osnaburgensis, cum talis vir,
 sapiens quidem, experientia usque rerum non minus, quam doctrina & elo-
 quio

quo, suo seculo excellens Ertwinus senior, ad gubernacula sederet, tamen
 eam nunc magis florere sub vestro patrocinio ingenue assero, cum jam vera de
 DEO doctrina & Evangelii Christi lumen fulgidum in vestra urbe splendeat,
 atque tunc contra ibidem in densis sederent homines tenebris, quas etiam bono
 ille Ertwinus valde probavit pro sua in religione simplicitate: Interim magis
 cum fructu ille Ertwinus profuit urbi, sagaci consilio & prudentia: sed quia
 que ejus filius Ertwinus junior cum collega Conrado de Horne Consule
 non minus profuit ante annos triginta eidem in reprimendis Anabaptistis, ut
 illi ita urbem everterent, ut Monasterii fiebat: Multo autem magis pro
 re salutis civium & omnium incolarum Martinus ab Horsten & Henricus
 Storkius Consules, hoc unum cum reliquis, ex quibus nonnullorum munio
 facta est, agentes, ut vera lux Evangelii posse radios suos emittere ac exeret
 in eadem, & deinde urbs muniretur. Et quanquam tempore Interimilitie
 scabiei aliqua religionis mutatio fieret, tamen reliqui Proceres cum
 etis in hoc toti laborarunt, ut, abolita superstitione, integritas vera de
 CHRISTO doctrina rursum vigeret floreretque apud vos, quam jam incorruptam
 etiam possidetis. Agite igitur, celebres & egregii Proceres, Domini excelsi
 patronique colendi, ut Ertwini prudentiam & virtutem atque reliquorum
 industriam superetis quoque, veluti in causa religionis promovenda illum &
 alios antecellitis: Postremo volui etiam V. P. reverenter gratias agere pro eo,
 quod non solum nutritores Ecclesia vera sitis, & vestros ministros Evangelii
 propter Christum in honore habeatis, sed quod simul profugis & exulibus Chri-
 sti aliquoties hospitia & multum subsidii, benevolentia ac humanitate cum ve-
 stris quibusdam honestis civibus exhibueritis, ut revera piam decet Magistratu-
 tum. Decuit etiam me vestrum clientulum, erga V. P. ut patria mea Dominum
 restari meam observantiam hoc publico scripto, ut etiam posteri videant me
 amasse Patriam. Valeat V. Amplitudo in CHRISTO, cui vos commendo.
 Ultimo Augusti.

V. Ampl. Excell.

deditissimus

HERMANNUS HAMELMANNUS
 L. T. & Ecclesiastes Lemgovienlis.

LIBER SECUNDUS,

Qui Secularia ex Krantio descripta latus ex
ERTWINI CHRONICO
explicat.



*A*rolus donavit libertate *Guibonem*, & suam Ecclesiam, ut ab omnibus Principum & Dominorum oneribus ac gravaminibus immunes essent, & sine ullis molestiis illa bona quæ semel Ecclesiæ contulerat, possiderent.

Is contulit ad Scholæ perpetuæ usum multa prædia & sylvas, nemora & foresta infra loca, *Farnewinkel*/ *Rustenstein*/ *Ungaria*/ *Osninch*/ *Emethe*/ *Bergeschovet* (*Krantius* habet *Dershovet*/ *Egestervelt*/ &c. *Dromanameri*, *Dummeri*, &c. (Sed hæc duo posteriora *Krantius* non habet) ut in privilegio legitur: deinde propter duritiem incredulam populi ordinavit sedes liberas in *Westphalia*, quas vocamus *de freyen Stöle*/ *das Scheffen Gerichte*/ & tales sedes per nobiles & virtute florentes occupabantur tum, eorumque iudicium cedebat tantum ad confirmationem fidei Christianæ, atque pœnam malignorum. Nam olim, ut ex vetustis literis probe didici (hæc sunt verba *Ertwini*) Nobiles milites scribebantur *Urigravii*, nunc prohdolor illud iudicium per pauperes, indoctos & infames pervertitur, & variæ vilesque causæ ad illud præter morem antiquum deferuntur.

Mortuus est *Carolus Magnus Aquisgrani* anno Domini 814. quinto Calendas Februarii, & in ipsius sepulchro hic extat titulus: Sub hoc Conditorio situm est corpus *Caroli Magni*, orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit & per annos 42. feliciter rexit, decessit septuagenarius quinto Calendas Februarii, &c.

Tertium *Osnaburgensium Episcopum*, *GESWINUM*, scribit *Egilmarius*, postea *Osnaburgensis Episcopus* factus, in supplicationibus ad *Stephanum Papam Romanum* datis, conspirasse cum filiis *Ludovici* contra patrem, sed restituto *Ludovico* sua & fidelis filii *Omonimi* potentia vindictam de multis Episcopis sumptam: itaque Episcopum illum profugisse, & ex illa fuga plurimum damni Ecclesiæ contigisse per *Cobbonem Comitem*, qui fuit *Consiliarius Ludovici*, & ex Episcopi delicto in *Cæsarem* commisso sumpsit occasionem grassandi & auferendi, quæ voluit quasi permittente *Ludovico* prædictus *Cobbo*.

Gggg

GOS.

GOSBERTUS *Episcopus* cum esset opera *Cobbonis* promotus, facile permisit ei ablatis frui, vel ista pro suo arbitrio aliò transferre. Sit fuit *Cobbo Comes Tecklenburgicus primus*, qui molestias fecit isti Ecclesie, cujus equidem vestigia successores plerumque sunt ingressi.

EGBERTUS, imploravit subsidium *Colonienfis Episcopi*, qui respondit ei benigne (ut *Krantius* refert) & tandem ita literas responsorias misit. Valete & feliciter in Domino gaudete.

EGELMARIUS, cum videret *Episcopos Coloniensem, Wirzbergensem, Trajectensem, Hildesmensem, Verdenssem, Halberstadianos, Paternobornensem*, ut Imperatori gratos connivere in suo negotio & consorsia contra *Abbatem Corbiiensem & Abbatissam Hervordianam*, cepit anno Romano *Episcopo* per supplices literas totam causam exponere, & tandem admodum amice respondit *Stephanus*, sanctum vocans virum, & inserens literas, quas receperat à *Bonone Abbate Corbiiensi*, ad petitionem *Egelmari* qui tandem eò rem deduxit (subjicere etiam paratus suam causam multis *Episcopis* vel quinquaginta, ad quos provocare audebat, ut aures ei faciles præberet Imperator, & judicaret in illa causa, &c.

Non est verisimile *Dodonem I.* qui erat 7. in ea Ecclesia *Praesul* impetrasse privilegium illud ab *Ottone I.* quoniam legi (ait *Erwinus*) in vetustissimo codice, quod mortuus sit anno 934. 1. Maji, itaque neque illi neque etiam secundo *Dodoni*, qui *Ludolpho* successit circa annum 987. (Privilegium enim scriptum est anno 938.) datum esse videtur. Satis sit quod privilegium hoc illa Ecclesia habeat, quocumque tandem tempore vel cui *Episcopo* datum sit, potest fieri quod in numero annorum erratum sit. Privilegii summa est, ut omnia libere possideat cum successibus citra incurSIONem, injuriam vel molestiam potestatemque vel gravamen ullius Herois ac Domini, quæ olim Ecclesie attributa erant.

DROGO adhuc dicitur vixisse sub *Ottone I.* quanto magis *Dodon* curiae igitur temporum est aliquid ascribendum, quia hic dicitur, ut privilegium habet, circa annum 952. 13. Junii impetrasse privilegium de mercatu & jure monetæ in *Widenbruggen* / ab eodem, atque deinceps in privilegio concessit Imperator, ut inde vestigalia & reliqua usus ac tributa, aliave commoda, quæ ex mercatu & loco *Widenbruggen* / provenire possent, ipsi & successoribus cederent, &c.

LUDOLPHUS IX. *Episcopus*, cognatus *Ottoni II.* Imperatori fuit, ut in privilegio eidem *Episcopo* concessio legitur, quo *Ludolpho* successoribus ejusque Ecclesie attribuit vel potius reddidit in *Comita-*

tu Bernhaldi Ducis, Apelverbach / Hofnem / Linga / cum ædificiis, terris
pascuis, sylvis & molis &c. anno 975. anno Imperii septimo.

DODO II. alias *Dnodo* nihil gessit, quod in annalibus annotatum sit.
A GUNTHERIO, qui substitutus est Dodoni II. nihil politicum vel se-
culare gestum esse, propter infirmitatem perpetuam & brevitatem re-
giminis, historiæ produnt. Idem potest referri de successore ejus
WANNONO vel *Wacholpho*, quia tantum per duos annos hic videtur
præfuisse, &c.

THEITMARIUS, qui deinde successit, fundator est collegii ad S. Joan.
vir egregius: hæc autem fundatio salubris & utilis institutio, facta est
anno 1011. Anno Henrici II. duodecimo, Episcopatus Theitmari anno
10. unde est hic versus: *Hoc Deithmarus ego Presul templum tibi lego, &c.*
Per annos 20. utiliter præfuit Ecclesiæ, postea vero captus est oculis, in-
terim etsi careret luminibus externis, tamen semper gratias agendo
Deo, internis oculis contemplatus est JESUM CHRISTUM, lumen
verum & Dominum nostrum, cui etiam fidebat, tandem anno Domini
1013. mortuus est: Tunc fuere passim egregii viri in Episcopatibus, qui
etiam erant veri Doctores, *Willigisus Maguntinus Episcopus*, *Herbertus*
Coloniensis, *Lienso Bremensis*, *Godhardus Hildesimensis*, *Svederus vel Swich-*
gerus Monasteriensis, *Meinwercus Paderbornensis*, &c.

Theitmaro MENCHERUS successit, & illi GOSMARIUS, de quo-
rum secularibus negotiis nihil legitur, ut etiam nihil de eo reperitur, qui
Gosmaro successit nomine ELVERICUS. Quamquam Gosmarus pute-
tur à *Conrado Imperatore II.* tunc *Paderborna* agente, impetrasse aliquid
juris ad amplificationem sui splendoris de *foresto*, atque de *venationibus*
aliisque rebus, &c.

ELVERICO successit BENNO I. quem alii *Wernicherum* appellant,
cujus res gestæ nullæ in annalibus leguntur.

BENNO II. vel *Bernhardus* curavit devia & paludes in *Wittensfelde*
in commoda itineraria præparari aptarique: Deinde cum ex antiquita-
te jam olim clara essent castra, quæ Saxonum munitiones fuerant, nem-
pe *Sygeburg* / prope *Ruderau* flumen, *Herisburg* / in vicinia *Hassia*, &
Zburg / in ditione Osnaburgensi, (sic ait *Ertvvinus*) voluit ille rursus
propter amœnitatem loci & nominis splendorem in illo monte reædifi-
care arcem, quia tempore *Caroli Magni* mons in solitudinem redactus
erat, qui antea ad *Dusnam* curiam Episcopalem pertinebat. Cum esset
in opere, ut simul ab una parte arx & ab altera cœnobium extrueretur,

valde erat pro laborantibus sollicitus, quoniam periculosum erat in montis acumine tanta extruere ædificia. Idem cum multoties *Abbas Corbiensis & Domina de Hervorde* de illis decimis, quarum mentio facta est antea, conquesti essent coram Imperatoribus nostris, tandem *Beno II.* definitivam & decisivam Ratisponæ consecutus est sententiam ab Imperatore *Henrico III.* (ait *Ertvvinus*, sed fuit hic *IV. Henricus*) anno 1075. de retinendis decimis, quibus injuste spoliata erat Ecclesia Osnaburgensis olim, & mandatum contra adversarios, ne ulla postea quærensia ab eis coram Imperatore super ea re fieret, &c.

Deinde factus est *MARQUARDUS*, *Abbas Corbiensis*, *Episcopus Osnaburgensis*, *Deposito Marquardo XX.* est *Episcopus WIDO.*

Hic quatuor desunt *Episcopi in Kranio.*

Widoni succedit *JOANNES*, qui sub *Henrico IV.* (sic ait *Ertvvinus*, sed hic tamen fuit *V. Henricus*) capiente *Paschalem Papam* vixit, &c.

Foannis in locum venit sub *Henrico* illo *Præpositus Mindenensis GOTTSCALCUS* de *Deipholt* Comes, cum eodem tempore esset *Mindæ Episcopus* ejusdem nominis.

Cum *DEITHARDUS* vigesimus tertius eligeretur à *Capitulo*, erant, qui volebant eis obtrudere idque vi quadam, *Præpositum Hildesimensis Conradum*, sed ei tam sacri quam secularis ordinis viri restiterunt. Interim Ecclesiæ & *Deithardo* ob eam causam oritur bellum, quod contra eos movetur per annos 5. à *Frederico* quodam *Comite*, istius *Conradi* complice, qui ditionem mirum in modum rapinis, incendiis, depraedationibus, vastavit: Et quanquam fortiter resisteret hostibus *Deithardus*, tamen non prius paci restituitur, nisi cum intercessione *Frederici Archiepiscopi* (puto *Coloniensis*) gratiam Imperatoris obtineret: In initio istius belli perit *Comes de Deipholt / Gotschalcus*, gladio interemptus, sic enim ait *Ertvvinus*.

Huic successit *UDO*, qui per annos 4. præfuit, & erat 24. *Pontifex* ibi.

PHILIPPUS, *Catzenellenbagius Comes*, *XXV.* *Episcopus* in bona vixit gratia cum vicinis præsertim *Tecklenburgico Comite Simone*, & domuit *Nobiles Dominos de Hölste* / eversa firmissima eorum arce, quæ unum miliare remota erat ab urbe Osnaburgensi, quoniam illi rapinis & incendiis multum damni dederant: Eversio arcis facta est anno 1144. cum magna aquarum esset exundatio, cum ei suppetias & auxilium tulisset *Comes de Ravensberg* / qui propterea consecutus est liberam sedem in *Minden* derp

Dorpe, atque iudicium Marke, das Holtgericht in der Hilter Marck. Et mortuus est tandem Engelbertus, Comes de Holte/ anno 1150. in locis incertis, leguntur tamen in privilegiis ab ipsis datis Barones Majores & Nobiles fuisse: Episcopus PHILIPPUS, obtinuit ab Henrico Comite Tecklenburgensi & fratribus suis, Ottone, Theodoro & Gerhardo, comprobante matre Alheida, & autoritate curatoris sui domicelli Leffhardi Deipenshem/ certa sua bona Patrimonialia, videlicet curiam in Bersen/ cum Capella, multa que alia prædia, veluti privilegium, quod anno Domini 1150. scriptum est, habet & extat apud Capitulares. Quanquam hodie ista non in possessione habeant: Sunt tamen qui dicunt, quod acceperit Comes Tecklenburgicus postea istam Curiam cum cæteris bonis in feudum ab Episcopo: adjecit etiam Parochia S. Joannis illas villas & pagos rurales, qui adhuc ad istam hodie Parochiam referuntur.

Succedit ARNOLDUS XXVI. Episcopus, sub quo ratum habuit donationem castri in conterminis & finibus ditionis Osnaburgensis situm nomine Barchusen vel Bordinckhusen/ cum sylvis dictis Sundervogel/ atque reliquis proprietatibus istius castri jure hæreditario, quod Philippo antecessori contulerat Henricus, Comes de Tecklenborg/ filius ejus Henricus ejusdem nominis, ut in usum cænobii Djede cederet, & ita intercedente Comitissa Elyka, sunt multa bona monialibus ibi collata sub Arnoldo: Donationes istas Arnoldus confirmavit: Auxit etiam istam donationem eadem Comitissa Elyka, ex suis bonis ac prædiis in vicinia sitis, nempe in Brinck/ & quia eodem in loco habuit prædia ac tres villas Deithmarus Cantor summi templi, contulit etiam easdem in usum istius cænobii: Illa ita rata & transacta sunt per Episcopum in præsentia Lanfridi, præpositi & Canonicorum Cathedralium, atque nobilium de Djede & aliorum.

Dixi de errore & diversa opinione Annalium de GERHARDO: putatur tamen fuisse GERHARDUS de Lippia Comes, Episcopus XXVII. qui Comitibus de Waldegge contulit feuda ea lege, ut cum opus esset ditioni Osnaburgensi, mitterent & alerent propriis expensis decem equites, atque antecessor ejus Arnoldus Comitem in Benthem Ottonem investivit de quodam feudo: ita quoque & investivit duos fratres de Osdenburg: sed in nullius Comitibus literis (puto reversalibus) specificatio facta est bonorum feudalium, nec expressum extat in literis beneficium, quodnam in feudum acceperint: Id quoque accidit in aliis feudis. Hinc Ecclesia multis bonis feudalibus est privata. Investitura illa solemniter ab illo Episcopo

copo facta est anno 1200. Et hac de causa, ut putatur, est orta discordia inter Capitulares & Episcopum: militares steterunt à partibus Capitulari illa tamen dicitur sedata esse per Episcopum Coloniensem qui tunc Cardinalis erat: Circa hæc tempora, *Osnaburga, Susatum & Magdeburgum* incendio fere perierunt, & undique pestis grassata est.

ADOLPHUS XXVIII. Episcopus, qui permisit Advocato Ecclesie Osnaburgensis *Hermanno de Blancena* nobili, ut decem Curiam advocatias, quas ab Episcopo in feudum semper tenuerat, videlicet *Wethove/ Eversvelt/ Walenhorst/ Huneschehoff/ Osterhues/ Zick/ Hagen/ Huyle/ Hagen/ Holstede/* venderet Capitulo, quò in usum Ecclesie perpetuo servarentur, pretio *centum & unius marcarum*. Idem etiam permisit Advocatiam quatuor domuum videlicet *Locheten/ Ostentinet/ cum duabus mansionibus*, quarum una sita est prope *Damme/ altera prope Dytta/ Ecclesie* eidem anno 1223. Idem quoque factum est in Advocatiis tribus *Ulfstede/ Holdorpe & Angelbecke/* de quo extat proprium privilegium apud Capitulum Cathedrale, sed ignoro an adhuc à Capitulo possideantur, præsertim illæ ultimæ curtes, timeam malignorum spolio sublatae esse, &c.

Sequitur ENGELBERTUS, Comes Tecklenburgicus, (de quo nihil refert vel habet *Krantius*) Episcopus Osnaburgensis XXIX. qui se opposuit fratri, Advocatia sua, quam super *Monasteriensem & Osnaburgensem Ecclesias* habuit, abutenti, nomine *Ottoni*, potentia ferocienti, quem primo excommunicavit, atque cum se adhuc nihil proficere videret, sed frater magis grassari pergeret in ditione Osnaburgensi, pro suo libitu Potentiorum petito auxilio (quod illi Brachium seculare vocant) justum tandem bellum in fratrem suscepit, & castrum fratris *Archenoye* & oppidum *Essen* obsedit & tandem expugnavit, & solo adæquavit: Habuit autem pugnam cum prædicto fratre *Otrone* in loco *Bergeshovet/* & tulit open fratri *Ottoni* Nobilis Dominus de *Dyssen/ Wilboldus*: Episcopus veto cepit fratrem, *Wilboldus* interim, aliique in pugna perierunt atque munitionem in *Dyssen* & oppidum *Dyssen* destruxit Præsul: & cum ab utraque parte varia hinc inde committerentur incendia & rapinae, factus est tandem utriusque mediator ipsorum patruus *Ludolphus Monasteriensis Præsul*, cui uterque sub poena duorum millium marcarum plenam potestatem transigendi negotium dedit & ratam sigillo habuit, constitutis etiam à eujusque parte 22. fidejussoribus ex militari ordine, & hanc demum patruus tulit sententiam, ut sex ministeriales advocatias

civitatis Osnaburgensis Ecclesie conferret, atque bonorum Episcopatum & Parochialium Ecclesiarum, & *Castellaniam in Zborg* hoc est, vel *in castrum vel propugnaculum aliquod ein Worwerck* / perpetuo abdicaret & resignaret *Otto*, interim bona ad ipsum in ista vicinia pertinentia ab Episcopo Osnaburgensi in feudum semper susciperet: Contra vero Ecclesia & Episcopus recompensationis loco Comiti *octingentas Marcas* numerarunt: Promisit etiam se *Comes Otto* nullas facturum & struendum munitiones inter *Wyrren* & *urbem Osnaburgam*, vel inter *Wulvena pagum* & *urbem*. Hæc ita ratificata sunt singulorum sigillis, ac *Comitis Bentheimensis* & *Ludolphi Comitis Steinfordiensis*: acta autem in *comiterio S. Joannis Osnaburgensis* anno 1236. in presentia plurimorum virorum tam secularium quam religiosorum. Dicitur etiam in *Chronico Monasteriensi*, quod *Comes Tecklenburgicus* habuerit olim *sedem Frigravii Osnaburgæ*, quam etiam tunc resignaverat in ista transactione: Sed hoc non reperi (ait *Errovinus* in authenticis literis) opinor tamen Comitem in diocesi habuisse & resignasse, non tamen in urbe &c. Idem Episcopus auxit reditus, & de consensu Capituli, ministerialium & Burgensium (Das sind die Burgmannen gewesen) agros duarum mansionum in *Blæstendorpe* in plures divisit, ut quilibet ex una parte agri dicto, ein *Morgen Landes* / in locis vicinioribus urbi, Episcopo singulis annis in festo *S. Martini* tres modios siliginis & hordii per dimidiam mensuram solvat: qui vero remotiores agros habeat, solvat duos hordii & siliginis modios: Et confectæ sunt super ea re literæ sigillatæ de usu & fructu istorum agrorum atque de successione possidentium eos, &c. Huic etiam Episcopo concessit rursus *Imperator* plenum jus *Gogeraviatus* per urbem ipsam & per reliqua oppida *Widenbruge* / *Zborg* / *Dissen* / *Melle* / *Unckum* / *Bramesche* / *Damme* / ut privilegia indicant. Tandem hic ita in lamentationes & querelas prorumpit *Errovinus*: O quam lamentabile & damnosum est ditioni & Ecclesie Osnaburgensi, quod *militares de Varendorpe* / illud iudicium in *Dissen* / cum suis inibi villis circumjacentibus, *Eoder* / *Hilster* / *Glane* / quia ipsas ab Ecclesia Osnaburgensi indubiè habuerunt in feudum ut subditi & ministeriales Ecclesie, jam non multis retroactis temporibus vendiderunt & alienarunt ab Ecclesia, transtuleruntque in *Comites de Ravensberg* / unde multum molestiarum circa jura & limites contigit, &c. Et mox, *eadem de Varendorpe* similiter idem attentarunt cum iudicio in *Zborg* / super alienatione & translatione Domini ad Comitem in *Teckenberg* / quod tamen resistendo Ecclesia

Osnab-

Osnaburgensis cum fideli suo defensore & Reverendo *Conrado de Doyholte*, Episcopo in Domino defuncto, impedivit, &c. Atque hæc *Erwinus*, &c. Idem *Engelbertus Episcopus* ab Imperatore consecutus est in *Oppenheim* / anno Domini 1235. jus argentifodinæ in prædio ditionis *Huel & Stertenbrinck* / &c. Atque deinde de consilio Capituli anno 1244 facta permutatione curiam in *Gutersloo* cœnobio campi *B. Mariae Marienvelt* / tradidit, recipiens in suam possessionem ab eodem cœnobio agros quosdam dictos *Stripfelt* / &c.

† Successit ei *BRUNO de Isenberg* / Episcopus XXX. de quibus diximus etiam, hic cum Capitulo permutationem fecit, & agros quosdam ad Episcopum Osnaburgensem spectantes tradidit Capitulo, recipiens in jus suum & successorum ex manu Capituli molam in *Schlachweede* deinde Advocatiam duarum *Curium in Westringen & in Dillindorpe* & mansiones ad easdem curtes pertinentes ab *Adolpho & Hermanno* tribus & viris nobiles de *Blancfena* / qui ista bona in feudum obtulerant ab Episcopo, pro 300. marcis minus 15. emit, & majori Ecclesia propter multas preces tradidit presentibus *Joanne & Hugone de Hatt* *Gyseberto de Horst* / *Gysezone & Francone de Bissendorpe* / *Gerbaro de Barendorpe* / *Hermanno de Glogenthen & Theodorico Men* militibus.

WIDIKINDUS de Waldech / fuit XXXII. Episcopus, cui libere resignavit curtem dictam *den Dithhoff* / *Wilhelmus de Dintberg* miles. Is enim Episcopi fuit dapifer, interim Episcopus investivit *Wilhelmum* illum de eodem prædio, faciens novum feudum, addensque illi novam molam prope longam pontem in *Bidenbrug* / ut ibi esse posset fidelis castrensis, sed tantum ad vitam: Illo autem defuncto posse & debere eandem tamen molam à *Wilhelmi* patruelibus redimi voluit marcis 60. quibus alia rursum bona præcepit Episcopus emi, & his deinde rursum putabat istius *Wilhelmi* hæredes adhuc tanquam vasallos investiendos esse.

Post venit in locum *Widikindi*, *BOLDEWINUS de Ruffe* / Episcopus XXXII. coram quo nobilis vir, *Hermannus de Hastorpe* miles Curiam suam *Holgettten* / sitam in vicinia pagi *Anchem* / (quam ut Vasallus ab Episcopo in feudum acceperat semper, ut sui majores,) cum omnibus proprietatibus & juribus una cum *Villico & villica* libere & absolute resignavit: Episcopus vero rursum istam Curiam eadem libertate, qua illi donata erat, assignavit Capitulo Cathedrali.

Atque hic observet Lector, quod *Boldevinum & Wikindum* simul in Episcopatu 31. numeret *Erwinus* & faciat ex duobus unum, quod hic.

hinc fieri credo, quia apparet ex ejus (Ertvini) verbis, quod nunquam consecratus fuerit Widikindus.

CONRADUS RETBERGICUS, Episcopus Osnaburgensis, plurima bona in Melle / & quatuor deinde domos in Eisen / circa Parochiam Dissen / contulit Capitulo Cathedrali: Accepit in pignus *arcem Teckenberg* / ad quam rem ei Capitulum & Senatus plurimum contulerunt pecuniæ, & cum in promptu isti omnem non haberent pecuniam, interposuerunt fidem suam, & sunt facti vades *Nicolao de Eisseler* Episcopo nongentas marcas commodanti: Pollicitus etiam est Episcopus se Capituli bona defensurum contra hostes & adversarios, præsertim adversus instantiam de *Sloeti* militis, qui ipsis magnum inferre damnum non verebatur, adjecta ea conditione: Si istis promissis non staret, ut tunc jus suum de conferendis beneficiis, sive id esset ruri, sive in urbe, haberet Capitulum: Ista acta sunt & ratificata anno 1289.

LODOVICUS eligitur Episcopus, natus ex Comitibus de *Havensberg* / qui cepit *Comitem de Lippia Simonem*, & eum in urbe vincitum in carcere den *Buck* in sextum fere annum detinuit, donec transactio fieret in die *Kiliani* anno 1305. Promisit idem *Comes*, cum filio suo *Bernhardo*, Præposito Paderbornensi, se eversurum *Engeren* / deinde se oppidum ad castrum *Rede* / infra dies 15. post relaxationem vinculorum destructurum, curaturumque, ne vel per se vel per posteros reedificetur, deinde dedit *quatuor millia marcarum Episcopo*, juramento confirmans, se non fore deinceps gravem ditioni Osnaburgensi, &c. His & aliis quibusdam conditionibus interpositis dimittitur, datis obsidibus *Ottone Tecklenburgico*, *Joanne Benthemico* & *Alberto Swallenburgico* Comitibus & quibusdam militibus, quos *Krantius* refert, quibus adduntur hi, *Gotschalcius Ducer* / *Detmarus Retberg* / *Wulffhardus de Malgarden* / *Fredericus de Horde* / *Leiffhardus de Liprodie*.

Multos habuit hostes uno tempore *Ludovicus*, præsertim *Monasteriensem Episcopum* & *Marchia Comitem Everhardum*, quibus multi alii Heroes auxilium ferebant: quos ille tamen vicit in *Hallervelde*: Quot habuerit hostes ex his antiquis patet versibus, quos etsi non libenter recito, tamen propter memorabilia nunc referam:

Corpore *Zachæus*, animo *Judas Machabæus*
Alter est iste *David*, *Markensem* cuspide stravit.

Hhhh

Et

Et rursus

Marca, Monasterium, Zeckenborg/ Juliacum,
 Arensburg/ Waldecke/ Loen/ Ketberg/ insuper Ahus/
 Tremoniaque Comes, Petrus vos terruit omnes, &c.

Hoc est, Petrus Patronus (ut putatur) Ecclesie Osnaburgensis a
 partibus Episcopi, & illos omnes Dominos iuvantes Monastericum
 Præsulem vicit, &c. Hic quoque Ludovicus recuperavit partem Castri
 de Reinenberg / & impetravit jus suum in illam præfecturam anno 1166.
 10. Aprilis, hoc est, ab Episcopo Mindensi Gotfrido, (quem ^{alii Conradum}
 vocant) Comite de Waldecke / privilegium consecutus est, quo promit-
 titur confirmatione sigilli Episcopalis & Capituli, non auferendam in
 posterum Osnaburgensibus partem suam in castro Reinenberg: Idem
 etiam literis sigillatis promiserunt Burgenses in oppido Lubbecke / cuius
 fuit fundator Volcquinus, Osnaburgensibus. Sed ita desidia nostratis
 affecti fuere, (ait Errwinus) ut nunquam intelligere potuerint, quomo-
 do ista parte castri rursus privati sint. Literæ interim Episcopi Minden-
 sis & oppidi Lubbecke sunt adhuc in archivis Capituli Osnaburgensis,
 quarum etiam copiam ad verbum recitat Errwinus, in eis autem aperte
 Episcopus Mindensis & Capitulum fatentur, istud castrum in Reinenberg
 pertinere tam ad Osnaburgenses quam Mindenses, imo hoc expresse in
 eis legitur, postquam Episcopus Osnaburgensis cum Ecclesia sua esse
 precedentibus temporibus ejectus ab illo castro, restituunt nunc per
 illum & posteros tenore & valore istarum literarum Episcopus Minden-
 sis & Capitulum ipsius, addita obligatione, quod si in posterum amo-
 verentur Osnaburgenses ab arce Reinenberg, tunc infra 14. dies resti-
 tuendos, aut tantisper debere Episcopo Osnaburgensi & suis obstrictum
 & subditum esse oppidum Lubbecke / cum omni suo jure & proprietate
 donec restitutio castri fiat: hoc etiam suo sigillo & testimonio Consules
 Burgenses & Senatus oppidi Lubbecke ratum habuere, quia eorum quo-
 que obligationis copiam recitat ad verbum Errwinus.

Tricesimo quarto LUDOVICO successit ENGELBERTUS de Wey-
 ge / ex militaribus ortus, qui ex consensu Cathedralium Canonicorum
 arcem in Dnhusen / proximam pago Nienfercken prope Ravensbergum
 cum omnibus proprietatibus & juribus, facta permutatione, concessit
 militari viro Gerlaco de Gesmel / Albeida uxore ejus, atque utriusque libe-
 ris Bernhardo & Nicolao filiis, filiaque Kunegunda & omnibus hæredibus
 ipsorum, recipiendo ab illis in locum recompensationis Judicia fiscalia
 dicta

dicta Holtgerichte / per sylvas vulgo dictas Marcke / parochiarum Nis
meslage / Nelle / Nienkercken & Wellinckholtshusen / cum omni jure &
proprietate: Illa permutatio facta est anno 1311. Et roborata est Episco-
pi, Capituli atque Gerlaci prædicti sigillo & literis: Hancque utilem
voce permutacionem Errvinius. Quoniam vix duobus annis ab eo
tempore elapsis facta est de istis sylvis pratisque vel markis contentio in-
ter nostros & Ravensburgicos, verum isto jure nostri prevalebant.

Sequitur post Engelbertum GODEFRIDUS, Comes de Arnsberg / qui
multa nova feuda ex Ecclesiæ bonis instituit: Nam Comitibus, BERN-
HARDO de LIPPIA, ex bonis castri Reckenberg in Widenbruggen quæ-
dam contulit, item alia in feudum dedit militaribus de Der / de Wolde /
de Buche / de Eappen / de Varendorpe: ex qua investitura in hodiernum
usque diem detrimentum patitur ditio. Nam cum feuda non expri-
mantur in reversalibus, nec etiam literas de feudis hæredes illorum pro-
ferant, supprimuntur ab istis feudalia bona tanquam propria & patrimo-
nialia: Arcem Wiltage complevit & quæ ibi adhuc ædificanda erant
absolvit: ubi ipse insignia lapidibus insculpta postea fuere conspicua.
Bellum cum Monasteriensi gessit contra Marcanum Comitem, &c. ut dictum
est, nam & cum Comite Clivensi, tunc partem Geldriæ obtinente, pro-
pter castrum Bredvort controversiam habuit Episcopus Monasterien-
sis, cui noster Episcopus atque Comites de Lippia & de Wiltage opem
tulere, & facta pugna prope Cossfeldt / superiores fiunt Episcopi: tan-
dem transactio est inter illos facta de castro Brevorth / per Trajectensem
Præsulem. Postea orta est inter vicinos illos Episcopos, Monasteriensem
& Osnaburgensem, controversia propter captos quosdam cives Osnab-
urgenses in Emeslandia per Satrapam Monasteriensium istis in locis, eo
præsertim tempore, cum jam de servanda pace per Westphaliam trans-
actio facta esset inter Westphaliæ proceres, quibus Coloniaensis Præ-
sul interfuerat: deinde alia suberat discordiæ causa, nempe ea, quod
ille Satrapa synodales conventus Osnaburgensium, den Sendt / con-
temneret, ejiceretque Clericos huic officio præficiendos, qui Osnab-
burga venerant: Atque tunc cum Monasteriensi quoque Præsule liti-
gabant militares de Rorpe / Henricus & Everhardus, fratres, conque-
rentes de facta injuria sibi: Hi adhærebant Osnaburgensi Episcopo:
Tandem Coloniaensis Episcopus Walramus de Guliche / utriusque Metro-
politani, evocavit utrumque Præsulem ad Susatensem urbem, ibique litem
composuit, pronuncians libere dimittendos cives captivos, atque Sy-

nodalibus actionibus etiam iis in locis suum honorem & locum tribuendum esse: denique *militares de Rorve* recipiendos in protectionem territorii Monasteriensium: Hæc facta sunt anno 1341. die Lunæ post Lucia. Circa annum Domini 1342. fuit magna aquarum inundatio, quæ etiam sicco tempore & nullis pluviis præcedentibus ex terra erupit, quæ & civitates & villæ multæ perierunt: Talis quoque fuerat & fere similis subsequenter temporibus anno 1484. prope portam Osnaburgensis urbis de *Heger-Porten* in via, qua itur versus Monasterium. Fuit magna pestilentia per totum fere mundum anno 1350. & illa Epidemia tantæ, ut vix homo hominem posset sepelire: atque ea lues dicta & nominata est in hodiernum usque diem Osnaburgæ, de *grothe Doit*: Iste morbus imputabatur Judæis, à quibus dicebantur fontes & putei venenosis infecti: tunc multæ villæ diu incultæ in ditione Osnaburgensi manserunt.

Sequitur post hunc Doctor Juris Canonici egregius JOANNES HOJE, qui misit procuratorem suum, *Wichmannum de Lunne*, in Bohemiam Pragam usque ad Cæsarem ibi commorantem, per quem Carolinam puro auro signatam pro sua Ecclesia & simul regalia, ut Princeps Imperii esset, impetravit.

JOANNES HOED, factus Episcopus, etsi sine gravaminibus consequeretur ditionis possessionem, tamen quia nimium credidit militibus, in egestatem delapsus, coactus est primo arcem *Niedesberg* in *Widenbruggen*/oppignorare aliis, deinde quatuor alia castra: quanquam unum redimeret in usum Episcopi Capitulum Cathedrale cum clero totius ditionis: Interim quidam raptores moti perjuris quibusdam, castrum *Jborg*, vi & clam simul invaserunt, & jam ab illis occupatum vendere cogitabant Comiti Tecklenburgico, qui possessionem istius castri diu antea expetiverat: Inita igitur cum istis ratione in suam potestatem castrum cum oppido & subjectis pagis redigit sibi que multo tempore servat Comes, ita tandem evocatur *Engelberti Comitis de Marca* frater THEODORICUS, ut per annos 12. esset *Coadjutor*, qui castrum *Jborg* recuperavit, castrum *Gronenberg* redemit, atque ibidem & in *Jborg* tum quoque in *Vastennow* / portas suis insignibus conspicuas extruxit: Huic movit bellum *Gerhardus, Mindensis Episcopus*, adjunctis sibi in federe *Comite Hoyensi, Adolpho suo fratre, & Widekindo Domino de Monte*, advocato nobili suæ Ecclesiæ, (etsi antea confederati essent) multumque is damni ditioni nostræ dedit rapinis, incendiis & aliis incursionibus: Huic occurrere studuit *D. Theodoricus*, & collecta manu ex ditione &

& urbe Osnaburgensi, venit obviam Mindensibus circa rivum dictum de Holfhuserbercke / ubi graviter vulneratur Theodoricus & etiam captus anno 1363, multique ex suis interficiuntur, inter quos erat Praefectus militum urbis Osnaburgensis natus ex familia nobili de Recken / & alii militares civesque, quorum nomina in libro statutorum civitatis Osnaburgensis scripta reperiuntur: *Theodorus* ad urbem Mindensem captivus deducitur, introductum in urbem ex fenestra cujusdam aedificii aspexit *Episcopus Mindensis*, de quo sibi tanquam amico aliud speraverat *Theodoricus*: Dixit igitur ad Episcopum, sive *Bischoff hier und dar/bistu dar/* notans hominis inconstantiam. Cum vero *frater Theodorici Engelbertus*, Comitum Westphaliae tunc fortissimus & famigeratissimus, intelligeret fratrem & vulneratum & vinculis traditum, collegit sibi validam manum militum, opeque Clivensis & aliorum Comitum implorata, ingressus est terram Mindensem ferro & igne omnia vastans, & accedens ad urbem propius, cepit illam circa festum Petri & Pauli undique obsidione premere, atque ita fratrem captivitate laxavit, & in pristinum statum restituit: Dicitur isti redemptioni impendisse *Comes de Marca* decem millia flororum. Cum *florentius de Bevelinckhave* / *Episcopus Monasteriensis*, *Castrenses* (*Burgmanne* / *Slotpleger*) arcis Ravensbergici hostiliter istius ditionem ingressos, insequeretur usque in *Bersmel* / & tandem victos multaret, & confugerunt ad *Coadjutorem nostrum Theodoricum* ipsorum quidam famuli, quos petitos reddere *Monasteriensi* recusavit, sed praecipit, ut jure cum ipsis ageretur, ipsos solum sistendos; Hinc inimicitiae inter illos ortae sunt, & *Theodoricus* damna quaedam *Monasteriensi* intulit: Sed cognatorum utriusque compositione, res turbatae sunt in integrum restituta ab utraque parte. Interea moritur *Joannes Episcopus*, vir prudens & morigeratus, sed gubernator non providus.

Succedit *JOANNI MELCHIOR* de *Brunswic* *Dux*, ex provisione Apostolica introductus per *Florentium de Bevelinckhave* *Episcopum Monasteriensem*: Huic cum tradere nollet possessionem castrorum *Theodoricus de Marca*, qui multum impenderat nostrae ditioni & plurimum damni ex captivitate sua acceperat, nisi sibi solutio fieret expensarum, est tandem compositio inter ipsos facta, ut tantisper pignoris loco retineret castrum *Iborg* *Theodoricus*, quo illi numerarentur duo millia & centum *marca Osnaburgensis monetae*, &c. Capitulares, Senatus urbis Osnaburgensis & ipsi militares egerunt, ut in dominium Melchioris

ris venirent castra omnia ditionis, ex quorum numero mox unum *Werd* den/ & deinde secundum *Hunteborg* ubi decem erant Castellani, postea *Gronenberg* ubi 20. habitabant castellani, sumpta pecunia certa summa elocavit aliis, & fuit tunc Cathedralis Ecclesiae *Gogericht*, sive ut vetustae literae loquuntur, *alta Jurisdictio*, quia *Gogericht* rectius *Doggerichte* dicitur, per aliquot *Parochias arcis Gronenberg* & aliarum, & in talibus judiciis impendimentum nostris faciunt hodie, (ait *Errivone*) *Ravensbergici*: Tandem oppignoravit etiam aliis, puto *Tecklenburgicis*, castrum *Zborg* & oppidum, ubi erant decem castellani. Quod si providus fuisset, potuisset ex istis castrorum proventibus suis rebus commode prospicere: Postea ipse sibi malum intulit. Quia etiam veteris amicitiae pepigisset cum *Comite Hoyensi*, tamen non servata fide, hosti Comitis *Hermanno de Venuethe in oppido Quackenbruggen* securitatem concessit, is cum multum daret damni ditioni *Hoyensi Comiti*que, Comesque perspectum haberet, quod praeter fidem datam locus suo hosti esset apud *Osnaburgensem Episcopum*, cepit cum illo agere & ab eodem Episcopo, damni illati recompensationem petere: Hic cum cessaret taceretque Episcopus, hostiliter ditionem ingressus est. Episcopus per indicium accipiens adesse hostem, serius mittit in urbem nuncios petituros subsidia, ipse interea cum suis prope *Pontem Bedel* in *Parochia Badbergen* congregitur Comiti, victusque & captus ducitur in castrum *Hoye*. Deseruerant sui Episcopum, ipseque solus cum *Sacellano* & *Secretario* atque *stabulariis* praedae fuerat Comiti, nec ita prompti erant cives ignavo Episcopo operam praestare, cum aliorum consiliis abjectis securior fuisset: Paucis mensibus elapsis, & impetrata securitate vel salvo conductu à *Gerhardo Comite Hoyensi*, mittuntur à *Capitulo Cathedrali* & *Senatu* legati de toto negotio exquirundo, *Dominus Theodoricus de Horne* Praepositus, & *Amelungus de Barendorpe* Canonice Ecclesiae Cathedralis, item *Theodoricus Brunzel* Proconsul, & *Wernerus Boget* Consul urbis *Osnaburgensis*: Hic cum decem millia aureorum exigeret Comes, nec aliter relaxationem Episcopi fieri possent nisi his numeratis diceret, adeunt Episcopum permittente Comite: is cum alio medio liberari non posset, nec quicquam spei à cognatis sibi polliceretur, suaeque illis inopia conspicua esset, petit tandem revocari *Theodoricum de Marca* in *Coadjutorem*, ut is per soluta pecunia Episcopum liberaret, & castrum *Zborg* rursus à *Tecklenburgicis* redimeret: Hoc quidam tamen impediabant, magis cupientes & laevantes *Tecklen-*
bur-

burgico Comiti quam suo Episcopo: ex ista mora plurimum damni datum est ditioni, quisque enim fecit, quod voluit, ut in ipsis propediem portis urbis occiderentur plurimi: Hinc motus Senatus institit apud Capitulares, nisi illi cogitarent de restituendo Domino, vel vocando alio, se de Protectore novo quaerendo sollicitum fore. His excitati revocarunt *Theodoricum* Capitulares de consensu Episcopi, ut is persolveret omnia, & esset per annos 12. non solum Coadjutor, sed etiam Vicarius, tam in spiritualibus quam secularibus Melchioris, &c. Transactio est facta in castello militaris *Alhardi Kleinesock* / in vicinia oppidi *Wildeshusen* / anno 1373. praesente Comite de *Delmenhorst Christiano*, qui Episcopi orator erat, & rogabat Dominum *Theodoricum* nomine Episcopi, ut hoc onus susceperet, cum melius etiam posset, quam ipse Episcopus, praesesse: testes erant Dominus *Johannes de Dryhusen* / *Wildeshusensis Ecclesiae Decanus*, & Dominus *Joannes Loen* / *Decanus Ludgerianus Monasteriensis*, item Dominus *Ludgerus* *Canonicus Ecclesiae Osnaburgensis*, & Nobilis Dominus *Wedekindus de Monte*, advocatus Ecclesiae *Mindensis*, & Comes *Gerhardus de Hoye & Brochhusen* / item *Alhardus Kleinesock* / *Fredericus Schagen* militares, atque *Johannes de Sutholte* / aliique. Ita expensa pecunia solutus jam Episcopus in domo Capitulari eodem anno 21. Aprilis, *Theodorico de Horne* / Praeposito, *Wilbrando Decano*, & *Godefrido ac Hermanno de Gamme* / *Sandro de Holtvelde* / *Sandro Thodranck* / & *Godefrido de Meppen* / obtulit recipiendum pro Coadjutore: deinde praesentavit etiam Militibus & Consulibus Senatuique eum in domo lapidea Praepositurae, petens ab omnibus, ut ei per annos 12. obedirent in omnibus. Postea poenitentia ductus Episcopus abiit Romam, & evocavit *Theodor. de Marca* & *Ludgerum de Vechta*, Canonicum Ecclesiae *Osnaburg.* & certos armigeros, citavitque illos, imprimis vero *Joann. de Wedigen* / armigerum suum & Praefectum in *Dastennow*. Dominus *Ludgerus & Joan.* solemniter protestatione coram notario facta, quod ille calculi morbo gravatus, hic officio, quo suo Domino obstrictus esset, impeditus personaliter venire non possent, constituerunt procuratores: *Theodicus*, etsi multa in gratiam Episcopi fecisset, & vitae necessaria illi abunde praestitisset pro dignitate sua, tamen missis Romam commissariis voluit placide cum Melchiore Episcopo agi, & ubi pacifice transactio fieri nequiret, jure agerent omnia sine ulla amarulentia praecipit: Interim ille vacante *Swerinensi Ecclesia* per Papam *Swerinum* mittitur, ut ibi Episcopus esset. Interea à Capitulo THEODORICUS de *Horne* / (illo

(illo jam translato) Canonice in Episcopum eligitur, homo victoriosus, qui Theodorico Comiti summas pecuniæ (quas ille redimendis Præfecturis & Melchiori impenderat) persolvendas promittit, datis in pignus aliquot arcibus vel Præfecturis: Quia militares & urbes, præsertim *Osnaburgensis*, collata pecunia summam quandam Domino conferunt ad recuperandas arces: Huic statim contigit controversia cum *Omnes Comite Tecklenburgico*, genero Simonis de Lippia, qui tunc accepta in dotem cum uxore possessionem arcis *Nhede*: habebat autem alia quædam prætendenda quoque, imo jus sibi quoddam in totam fere ditionem & castra, excepta urbe *Osnaburga* & *Quakenburgo*, usurpabat, occupantiam invaserat jam antea & occupaverat pleraque castra & prædiorum, tum repetebat Episcopus sed frustra. Hinc mox oritur inter illos bellum: Ibi *Nicolaus filius* quanquam is Patrem aliquoties caperet, adjuvante titer Patrem *Ottonem*: Quædam castra & villas restituit Episcopus similitudine civium *Osnaburgensis* urbis: Dimicabant inter se Dominus & præstantibus utrobique militaribus, qui nulli opem tulere: circa id tempus exiit *portam Hasensem* quidam superiores ex Consulatu & *Senatu* *Osnaburgensi*, qui per insidias, circa templum Spiritus S. capiuntur & vinciti deducuntur in arcem *Tecklenborg*: Sed potentiorum Dominorum intercessione tandem emancipati, & certa pecuniæ summa redempti sunt. Plurimi ex militaribus clam favebant Comiti, interim Episcopus brevis stature homo sed forti animo, suorum armigerorum & civium urbis collecta manu invasit & vicit Comitem: Omniaque castra ex manu Comitis potenter recuperavit. Ubi potentia vincere non potuit animos Principum vel Procerum, precibus flectebat, vel alia via pro sua singulari prudentia utebatur, ut semper pacem reportaret: Subditos potenter rexit, & cum quidam *Joannes de Borchfoden* quendam ex familia de *Bucke* ortum interficeret, parvique faceret Episcopum, non metuens ipsius indignationem propter perpetratum scelus, hunc persequitur Episcopus, & tandem cum 300. equitibus *Quakenbruggo* extractum jureque convictum, capite truncari præcepit. Et cum quidam ex familia de *Dunckeren* occidissent *Prepositum in Xulle* & jam augetur sent, nunquam ab illo sunt in ditionem suam admissi, postquam pro illo maleficio non satisfecissent. Item cum publicus esset mercatorum & itinerantium hostis *Borchgravius in Stromberg*, qui etiam nec Ecclesiasticis nec miserabilibus utriusque sexus personis pepercerat, hanc Imperiali notatur, itaque per *Florentium de Wevelfave* *Monasterium*

sem Prasulem & Theodoricum Osnaburgensem, conjuncto Henrico Speigel/
 Paderbornensi Prasule, arce Stromberg eicitur, destructa magna castri
 turre, & expugnarunt isti quoque castrum Crassenstein: Cum autem
 ipsum Burchgravium Otto Tecklenburgicus in castrum Rhede reciperet exu-
 lem, mox tres illi Episcopi & Comes de Marca circa annum Domini 1379.
 obsidione sex mensum cingunt ipsos destructo oppido: Solvit autem & se ex-
 mit ista obsidione certa pecunie summa Comes Tecklenburgicus, dans fi-
 dem se nihil amplius auxilii prestiturum Burchgravio, sed ilico dimissu-
 rum illum, idque sub conditione & datis obsidibus promisit. Interim
 Florentius ad Trajectensem Ecclesiam transfertur: Paulo etiam ante illam
 obsidionem Florentius & Theodoricus Episcopi ademerant Othoni Teck-
 lenburgico castrum & oppidum prope Versmel / Halstebecke / quod cum
 semel atque iterum expugnassent, penitus tandem destruxerunt. In-
 terim translato Florentio, ultra Wisurgim persequitur Burchgravius us-
 que in Grubenhagen & in media Saxoniam Theodoricus Osnaburgensis mi-
 litarium & civium opera, &c. Tandem cum Porho Bohemus fieret Epi-
 scopus Monasteriensis, a quo nihil habuit auxilii Episcopus Theodorus, &
 propediem ille ipse ad Swerinensem transferretur Ecclesiam, factusque
 esset ibidem Episcopus Heindenricus Wulff / hujus etiam opera cepit
 proterviam Comitis Tecklenburgici compescere, & obsidione pre-
 mtere Lingensem arcem, atque ita rursum ad concordiam redigere
 Comitem. Orta autem fuerat antea nostro Episcopo bellica simul-
 tas cum Comite de Marca, forsitan ob non solutam Theodorico de Marca pe-
 cuniam, ibi nostro fortiter assitit Florentius de Wevelave / adhuc in Mo-
 nasteriensis Episcopatu agens: Nam semel ad villas Westhoven progressi
 erant vastando & rapiendo multa: Tum ferro ignique dederant in isto
 Comitatu multum damni: Postea Heindenricum, moventem bellum
 & se opponentem Comiti de Marca, juvit quoque Theodoricus, succur-
 rens ipsi cum magno exercitu apud urbem Monasteriensem: atque licet
 tunc isti Episcopo primus & precipuus esset patronus, tamen ab eo ma-
 lam retulit gratiam, quia ipsi non fideliter assitit hic: Nam rursum fa-
 ctiose & tumultuanter contra aequitatem cepit agere Tecklenburgicus, &
 violata pace personas Ecclesiasticas earumque bona invasit: Et cum
 vocatus esset his de causis per advocatos ad Judicium Frigraviatus, venit
 cinctus armigeris & equitibus potentissimis, apparens ita armatus co-
 ram judicio prater morem, imo contra ordinem & statuta Judicii. Ita-
 que ad persequendas causas tunc venire recusavit Episcopus propter
 Comitis potentiam.

Orta est deinde controversia inter Clerum Cathedralis & Joannici collegii ab una parte, & Consules, Senatū ac ciues Osnaburg. urbis ab altera parte, quæ sic se habuit: cum civitas multum æris contulisset ad redimendas arces in gratiam Joann. Hoed/ Melchioris & Theodorici Episcopi tantis erat gravaminibus onusta urbs, ut inde se expedire non possent, itaque à Clero subsidium petebant, & volebant de patrimonialibus sibi aliquid arrogare & nonnihil servitutis clericis imponere ad tempus: Illi contra prætendebant privilegia ipsis à Papis & Cæsaribus concessa, & libertatem privilegiatam, atque urbe egredientes intronissi non sunt, nisi aliud promitterent: Interim quidam militares ditionis de consensu Episcopi composuerunt controversiam, videlicet Everhardus de Norderp/ Fredericus Düvel/ Ludovicus & Ludolphus de Hagen/ fratres, Amelungus Buch/ &c. anno 1381. in die B. Augustini, & illa compositio utriusque Capituli sigillo majori ratificata.

Proficiscitur circa id tempus Theodoricus Episcopus ex castro Smetberg in oppidum Melle/ & intercipitur in itinere à Castellanis in Eimburgi quanquam nihil hostile Episcopo compertum esset, atque dux captivus ducitur in arcem Eimburg/ veniunt primum literæ à quodam militari de Busche/ quibus amicitia renunciatur Episcopo, & licet serius illæ traderentur Episcopo jam capto, tamen ironice dixit, satis tempestivæ sunt emissæ, tandem multatus pecunia 600. aureorum Rhenensium carcere liberatur. Quod cum fieret, rursus jocosè dixerat: Si hæc est petitio, satis quidem illa est molesta, si vero exactio, est quidem moderata. Cum autem Otto de Hoya esset Episcopus Monasteriensis factus, & nondum cessaret Otto de Zecklenborg Comes injuriose agere, atque rapiendo & turbando plurimum damni utrique ditioni inferret, undique ex utraque primaria urbe & totis suis ditionibus collecto milite duo illi Praefules ceperunt castrum Cloppenberg obsidione premere æquo Marte, & in castris eorum fuerunt etiam Consules utriusque urbis, & tandem expugnato castro facti sunt ejusdem domini possessores. Uterque igitur Episcopus ibi Praefectum constituit: Sed quia Nicolaus de Anchem/ nomine Osnaburgensium Praefes, discessit à castro, quod videret parum momentum suo Episcopo contingere ex ista praefectura propter villas illis in locis passim exustas in obsidione, moxque est permutatio inter Episcopos facta anno 1398. in die Sanctorum Innocentium, ut noster Praeful abtro cederet à parte & jure suo possessionis in arce Cloppenberg/ & reciperet nonnihil juris circa Borden oppidum ac castrum, quanquam disti-

mile esset, ut ita fuerit iniqua Osnaburgensibus ista permutatio: Mox filius *Otonis Nicolai* cepit quoque vestigia patrum ingredi, itaque circa annum 1400. Sabbato post *Agidii* ceperunt cingere arcem *Tecklenburg* milite *Episcopi* vicini, & dum ita obsideretur *Tecklenburgica* arx, cepit ope *Comitum de Hoya / de Schowenberg / & Ducis Brunsvicensis ac Luneburgensis Brunoldi* quadriduana oppugnatione invadere castrum ac oppidum in *Vevegerne* / & obsedit deinde arcem *Lingen / Otto Monasteriensis*. In istis igitur angustiis positus Comes & amissa arce una, ne etiam secunda privaretur, petiit inire rationem concordiae cum utroque *Episcopo*, ut literae in archivis *Monasteriensium* *Canonicorum* servatae indicant. Nam in die *Crispini & Crispiniani* in urbe *Monasteriensi* judicialiter comparuit coram urbis *Judice Arnoldo Byschopinck / & pro se & suis* heredibus promisit, deditque fidem, se in posterum nihil acturum contra *Osnaburgensem Episcopum* ejusque successores, propterea quod ille cum *Monasteriensi Praesule*, obfessione & expugnatione, ei ademisset arces *Kloppenborg & Oytam*, & quod *synodalia* per suum *Comitatum* ipsi *Episcopo* ultrò sequentibus temporibus permissurus sit, &c. Haec ita gesta sunt anno 1400. & per juramentum *Comitis* & sigillo confirmata, praesente *Domino Ottone, Monasteriensi Episcopo*, ac *Domino Bernardo, Comite in Bentheim / Domino Arnoldo, Domino in Guterswick / ac Domino Meselano de Beckhusen / Decano, Domino Luberto de Radenberge, Vicedomino, Domino Adolpho de Eenbecke / Cellario, Hermannno de Monster & Hermannno Keppel / Canonicis Majoris Ecclesiae Monasteriensis, tum Heinderico de Cassen / Bernharo Drosten / Alberto filio ejus, Hermannno de Mervolde / Hermannno de Billerbecke / Amelungo de Barendorpe filio Domini Everhardi equitis aurati, Hermannno Korff / Henrico de Dex / Gerharo Rappel / ac Joann. Halawat / militibus. Fuerunt Comitatus in Tecklenborg potentes, & non prius quieverunt, nisi cum potissimum sui Domini partem amisissent. Nam ut scribit *Ertwinus*, possederunt *Kloppenborg / Oytam / Snappen* arces, & partem *Phrisiae* dictam, de *Zogeltesfresen*.*

Jam senio confecto *Theodorico* ceperunt hoc ei obicere, quod aliquoties ad se transtulisset vel potius rapuisset *Capitularibus* & aliis subditis pingues boves & vaccas, suesque, atque istas in suum & suorum usum mactasset (quoniam in tantis bellorum tumultibus opus habebat multis) Itaque minas quorundam olefaciens, cepit vocare in defensionem & quasi coadjutorem *WILHELMUM, Comitem in Ravensberg*:

quo audito mitiores facti sunt adversarii. Ipse vero castrum *Quintberg* munivit, turrimque ibi & pulchrum ædificavit cubiculum, &c.

Succedit ei HENRICUS, *Dux Sleswicensis & Comes Holsæ* anno 1402 in mense Octobri, solemniter admissus & inductus per cognatum suum Comitem, *Ottone in Hoye*. Hic oppidis *Zborg / Wastunon / Wodden* clementer immunitates, juraque municipalia concessit, & de successione cognatorum quædam privilegia contulit, ut ista adhuc in istis oppidis asservata testantur: Diem quoque feudalem indixit omnibus suis Vasallis, & diligenter perferutando investigavit, qui nam *essent libelli* & bona haberent feudalia, quoniam plurima bona habebant in registro Vasallorum, de quibus nulla investitura fiebat. Interim revocavit ad suos, &c.

Ejus in locum eligitur *Episcopus Monasteriensis OTTHO*, *Comes in Hoye* / ut administrator, qui arcem *Ottenstein / Henrici Comitis in Solmen* & *Domini in Ottenstein* / propter diversa ditioni Monasteriensis illata damna, contracta valida militum & instructi exercitus manu ex Monasteriensis & Osnaburgensis regione, obsidione pressit: Interim plurimi Principes *opem tulere Solmensis, Dux Clivensis, Hassia Landgravius, Comites multi ut de Morfa / de Hensberen / de Zeine / &c.* Favebat ei *Romanorum Rex Rupertus, Dux Bavaria*, atque sub medio obsidio potenter pavit, adductis victualibus & necessariis cibis, occupatores arcis *Ottenstein Adolphus Clivensis* anno 1407. in festo Lamberti, verum nihilominus OTTO continuans obsessionem pressit ad extremum usque possessores arcis, ut tandem fame coacti se & arcem traderent in manus Episcopi pridie festi Jacobi, anno 1408. Sequentibus autem temporibus, quando *Sigismundus Cæsar* descenderet in inferiorem Germaniam, ut conciliaret reges *Gallie & Anglia*, hæeretque primo *Noviomagi* deinde *Aquisgrani* anno 1416. vehementer per suos & multorum Potentum patrocinio accedente apud Cæsarem institit *Henricus Solmensis* de restitutione: Verum cum se *Otto* idonee excusaret, & quod justis de causis ei bellum movisset, indicaret, concedit quidem *Henrico Comiti* velle sua bonaque, quæ isti arci subjecta erant, sed arcis recuperationem denegavit, eaque transactio placuit Cæsari: Interim Comes ex istis bonis *vixit Sulpharii*, ubi mortuus est anno 1425. Verum paulo ante mortem elocavit filiam suam *Domino de Guterswiel / Comiti in Benthem & Seinfordia*, cui in dotem promisit bona illa post suam mortem perpetuo occupanda, quæ fuerant istius Domini & arcis *Ottenstein* propria. Arque

ista prædia bonaque etiam hodie dicuntur, de *Solmenschen Güder*: Sic factus est *Comes in Benthem* hæres istorum prædiorum, atque ex illo nascebantur *Bernhardus, Comes in Benthem/ & Arnoldus, Comes in Steinsvorde/ fratres*, ex quibus geniti sunt rursus *Erwinus de Benthem/ & Erwinus de Steinforth* Comites, qui adhuc superstites sunt (ait *Erwinus*) illique hodie etiam *Solmensia* illa bona & prædia possident, quam jam antea *arx Ottenstein* destructa esset.

Anno 1408. obiit *Gerhardus Buef* / Præpositus Ecclesiæ S. Joannis: anno autem 1412. 18. Decembris, diem feudalem instituit Osnaburgæ *Otto Administrator*, & ipse investiendo vafallos bonis feudalibus, omnia recte executusest, recepto ab eis juramento fidelitatis in loco consueto.

Anno 1415. *Joannes Buef* / militaris ex ditione Osnaburgensi, possedit arcem *Rhode* / quam ab *Episcopo Mindensi* oppignoratam tenuit, & cum *custos in Rhoden* deferret pastorem suum *Burchardum Harnebecke* / quod stola abusus fuisset in asperione aquæ, quam isti benedictam vocant, & postea hoc factum negaret, multatus est ab illo *Buckio* custos, nam ei adimi jussit *vaccam*, atque deinde ab officio amovit: Hic cum apud *Episcopum Mindensem, Wilbrandum*, conquereretur de injuria sibi facta, atque quidam vir dictus *Plustermann* / insignis nequam, cognatus custodis minis repeteret *vaccam* cognati, & interim quoque ille multaretur propter verba minacia à *Joanne Buckio*, conjunxit se custodi & æque diligenter ambo supplices facti sunt Episcopo: *Episcopus* scribens ad *Buckium*, cum non fuerit sui juris de Ecclesiæ ministro judicare, præcipit, ut & *vaccam* redderet, & ad officium templi reciperet custodem: Is autem, ut erat prudens, respondit sibi esse oppignoratam & concreditam præfecturam arcis cum omni jure & proprietate arcis & præfecturæ: Itaque ratione officii à se rectè factum esse, &c. Postea rursus aliquoties missis ad ipsum literis frustra hoc præcepit *Buckio Wilbrandus Episcopus*. Quare istam obstinatiam agrè ferens, clam iniit fœdus cum custodis cognatis *Plustermanno, Dusingio & Brathorstio*: Ille autem emissis ad domum paternam *Buckii in Valssterkampe* literis, renunciat *Buckio* & suis amicitiam, (has literas diffidatorias olim appellarunt) interim *Brathorstius* illa nocte, cum jam exiisset nuncius antea, clam natanando transgreditur piscinas vel fossas, quibus cincta erat *arx Rhode* (à qua forte aberat *Buckius*) & se occultat sub ponte; *Plustermannus, Dusingius* & sui interea ante castrum vel arcem aliquid succendunt & flammis qui-

busdam excitatis eliciunt ex arce famulos, quibus arx à Buckio concre-
dita erat: Illi igitur illa ipsa nocte visis flammis turmatim omnes turbati
ab arce discedunt, ut flammam restinguerent: Illis ita delabentibus ex
arce, mox se prodit *Brathorstius*, atque ex pontis latibulo prorupit, pon-
temque (sine dubio pensilem) portasque castris claudit exclusis famulis:
Illico adfuit ibi cum suis *Episcopus Mindensis*, cujus presentiam postquam
dato signo juxta initam rationem cognovisset, aperuit portam & per
pontem intromisit ipsum cum suis: Invasit & obtinuit ita *Episcopus ar-*
cem Rhode non reddita *Buckio pecunia*, quam pro usu fructuque illius pre-
fecturae *Buckius* tradiderat Præsuli. *Buckius* itaque diu frustra *idolum*
furdo cecinit, quia ipsius inobedientiam & proterviam præterea *Epis-*
copus, factum est tandem, ut manifesta vi, postquam apud *Herodes mil-*
tos & suos cognatos undique detulisset *Episcopum*, deque facto spolio
conquestus fuisset, præmissis prius literis, quibus bellum *Episcopo* de-
nunciavit indixitque, aliquid tentaret, atque contracto exercitu suis
egregio, opera tamen & auxilio cognatorum invaderet *Mindensem*
ditionem. Hoc cum *Episcopus* olefaceret, occurrit illi maturius cum
suis in campo dicto *Naselholte* / ubi in conflictu est orbatus altero oculo
Episcopus, atque ex suis præcipuis desideratus *Ernestus de Slen* alias di-
ctus *Gellen*: *Joannes* autem *Buckius* est non solum vulneratus sed etiam
captus cum *Joanne de Barendorpe* / Præposito ad S. Joannem Osnabur-
gensem. *Hermannus* autem *Korff* / alias *Smisingius dictus*, occubuit: Ita
tandem renunciavit omni juri & actioni, quam propter *arce Rhode*
præterdit, *Buckius*, & numerata adhuc summa pecuniæ certa *Episco-*
po, vinculis solvitur.

OTTO autem *Administrator Osnaburgensis* pacifice gubernavit di-
tionem Osnaburgensem, & arces *Borden* ac *Witlage* munitione cinxit
& ædificiis exornavit novis: interim nonnulli conspirarunt contra *Epis-*
copum ex subditis, & præter jus & æquitatem egerunt. Quare ingre-
diens urbem *Episcopus* jam senio gravatus, convocat ditionis Proceres
ad Curiam, quam Dominus *Henricus Ledebur* nunc (ait *Errwinus*) inha-
bitat, ubi adornatis sedibus prolixè ipse, tanquam de sublimi ut concio-
nator quispiam, commemorat beneficia, quæ ille contulerat ditioni
Osnaburgensi, & contra refert, quam ingrati fuerint quidam, qui se ei
opposuerint: atque cum imprimis quæreret conspirationis ne Fandæ
autores, nihilque certi ex Proceribus ditionis istius cognoscere possent,
quasi delusus exit urbem & se in ditionem *Monasteriensem* recepit, ubi
que

que hæsit neglecta nostra ditione, unde factum est, ut multi raptores & latrones tunc prodirent, cum quibus dicebantur nonnulli præfecti col-
 ludere: atque equinum caput erat inter illos signum, quando esset tu-
 tum ingredi vel egredi ditionem: Ingressiois tutissimæ signum erat
 capitis equini frons versa ad ditionem Osnaburgensem. Quanquam
 duo Præfecti vel Satrapæ, potissimum *Joannes Egius*, utriusque arcis *Wit-
 lage* & *Gronenberg* gubernator, & *Wilhelmus Ringeshoffus* arcis *Vastem-
 novæ* & *Borden* Procurator extra culpam essent, quoniam ipsi diligen-
 ter pacem coluerunt & turbatoribus occurrerunt, quantum potuerunt:
 Sunt tamen ex hujusmodi raptoribus & latronibus intercepti *Arnoldus
 Storck* (qui in urbe Osnaburgensi rotatus est) & *Joannes & Rudolphus de
 Olden* pluresque alii, &c. Moritur tandem in *Bevergerne* *Otto* 5. Octo-
 bris anno 1424. atque statim 18. Octobris eligitur in Osnaburgensem Epi-
 scopum *JOANNES de DEJMHVDE* / illo die cum electio fieret,
 atque electus poneretur pro more in altari, clerusque caneret cantum:
 Te Deum laudamus, &c. en mox *Hermannus de Melle* / Proconsul cum
 civibus claudit valvas templi & includit Electum & omnes clericos tem-
 plo, quos etiam armata civium manu cinxit: bombardarii enim erecto
 vexillo & signo circumvallarunt templum, ne quis egrederetur. Erat
 autem hujus tumultus causa, quod *Gogravii*, Judices ac fideles Episco-
 porum abusi erant jure illo, quo ad se transtulit Episcopus *Exuvias* eo-
 rum (vocant autem hujusmodi exuvias *Hervagia*) qui carebant hære-
 dibus, & bona illegitime natorum, etsi veri & legitimi superessent hæ-
 redes: Ista inquam omnia cum adjudicarentur fisco, valde abusi fue-
 rant tali libertate ministri Episcoporum. Isto igitur onere volebant exi-
 mi & liberari cives Osnaburgenses. Quare res ita est composita, ut hoc
 novus Episcopus remitteret civibus & urbi, illique contra Episcopo *te-
 lonium* ejusque usum perpetuò resignarent: Postquam vero ea res per-
 veniret ad Coloniensem Archiepiscopum, censuris Ecclesiasticis urbem
 pressit, quod loca sacra violassent, sed rebus compositis absolutionem
 ipsi Roma impetravit novus electus, juvenis ætate, corporeque pro-
 cecero, attamen prudens, qui multa de consilio patris *Conradi de Deip-
 holte* Comitis bene gessit: Porro sub illo militares quidam *Joannes &
 Wilkinus de Klencen* / quibus opem tulere *Domina & oppidani Hervor-
 diensis* urbis, temerarium indixerunt clero Osnaburgensi bellum: & ac-
 cidit, ut duكتورibus *Joannes de Varendorp* / Præposito S. Joannis Osnab-
 burgensis, & *Remberto de Quernhem* / Satrapâ in Gronenberg / cives bom-
 bar-

bardarii, & alii ex ditione collecti, obviam venirent adversariis in me-
 moro dicto *Voickholte*: & licet nostri adversarios multitudine vince-
 rent, stetit tamen apud adversarios victoria: fortiter quidem nostri pu-
 gnarunt, quod vel inde patet, quoniam *Bernhardus de Smerten* *Jo-*
hannem Klencken gladio eoque coegit, ut stipulata manu & juramento
 se captivum Episcopo Osnaburgensi sisteret, interim ipse *Bernhardus* &
 alii ab *Hervordiensibus* superati sunt postea, atque deinde coacti ad fidem
 dandam, ut se *Hervordiae* captivitati tradant, quoties requirantur. Re-
 quisitus tandem *Bernhardus Smertem* ne fidi fragus fieret, *Hervordiae*
 comparuit, sed ibi mox illum stricto gladio *Proconsul urbis dictus* *supp.*
 invadit, jubetque, ut liberum pronunciet *Joannem Klencken* nisi ani-
 mam velit evomere, & tametsi diceret ille, hoc sibi non licere, cum se
Klenckius fide & juramento obstrinxisset Episcopo, tamen ob periculum
 vitae ait tandem, quicquid ego juris jam habeo in *Klenckium*, hoc tu-
 tum illi remitto, nec quicquam amplius possum: Hoc ratum habere
Hervordiensis, dicentes, per illum recte liberari *Klenckium*, per quem
 captivitati obnoxius fuerat factus, illamque manum recte solvere, quae
 antea ligaverat, &c.

Postea *Henricus de Morsa*, Episcopus *Monasteriensis*, anno Domini 1436
 audita & percepta morte & clade suorum facta in *Damme* *pag. dist. 1. onia*
Osnaburgensis, tempore dedicationis templi per famulos & subditos no-
 stri Episcopi Osnaburgensis, qui nomine Episcopi sui rebus praesere vo-
 lebant, ut aequum erat, atque aliorum inobedientiam collectis suis
 campana pulsu compescuerant, mox Osnaburgensi Episcopo bellum
 indixit, atque statim ingressus Osnaburgenses oras incendiis & rapinis
 plurimum damni dedit rusticis & subditis: Noster Episcopus *Jo-*
 animose excepit hostem, & semel magna militum & equitum cohorte
 collecta in *Hesfeldick* commodissime potuisset persequi hostem, nisi
 dissuasissent quidam Consilarii, qui forsitan propensiores erant adver-
 sario: Atque ne hic altera hujus belli occasio negligatur, *Judicium Gog-*
viatus in Damme fuit olim clementer Osnaburgensibus concessum ab
Henrico quodam *Romanorum Rege*, id sequentibus temporibus ad
 transtulerant *Monasteriensis*, quo jure & titulo ignoratur, tantum quod
 mihi (ait *Ertwinus*) retulerit Episcopus Osnaburgensis *Conradus*, de *Do-*
holt Comes, pie defunctus, quomodo sui progenitores in feudum, tan-
 quam beneficiarii Ecclesiae, hoc jus accepissent olim, & pro exigua sum-
 ma pecuniae cuidam *Sutholte* oppignorassent, qui rursus istud ju-
 ritus

transtulisset ad Monasterienses, recepta sua pecunia, quam isti impenderat, &c. Ita ajunt ex neglectione quadam venisse in possessionem *Gregoraviatus* istius Monasterienses. Hæc est altera belli hujus causa. *Notker* autem Episcopus in præfecturis Domini in *Bechte* / & circa arcem *Bevergerne* / multum incommodi incolis intulit capto *Joanne de Usbecke* / *Sarapa Vechrensi*. Aliquando Monasteriensis Præsul progressus erat cum exercitu mille peditum & quingentis equitibus usque in pagum *Cappel* / *in Comitatu Tecklenburgici*, ut deinde nostram ditionem invaderet: Sed retrogressus est, cum per indicium accepisset Osnaburgensem Episcopum in armis esse: Intervenerunt tandem ut arbitri *Bremensis Archiepiscopus Nicolaus de Delmenhorst* / & *Dux Julia ac Bergæ, Guilhelmus*, qui erat etiam Comes in *Ravensberg* / atque utrique indixerunt diem in loco *Hanfesberge*: Coram his multos produxit testes Osnaburgensis Præsul de suo & Prædecessorum pacifico dominio extenso semper usque in *Mollerforde*: Ita tandem adversarii & arbitratorum sigillis, quod tum ibi compertum habebant, roboratū est transactionis negotium, atque istius transactionis literæ adhuc depositæ reperiuntur in archivis Capituli.

Albertus, Comes *Hoyensis*, castra *Rhoden* & *Reinenberg* / ab Episcopo *Wilbrando Mindensis* Ecclesiæ suæ fidei tradita obtinuit, hicque ope *Ducum Brunsvicensium* Osnaburgensem ditionem sæpe invasit, & rapiendo & incendiando omnia fere turbavit; Sed *Joannes* Episcopus cinctus militarium ac civium suorum copiose numero aliquoties animose hostis insolentiam repressit, & in media hyeme *villam in Rhode* / cum vicinis rusticorum domibus incendio evertit, sequentique tempore potenter, præsentibus in arce *Reinenberg* / *Alberto* & fratre ejus *Joanne Comitibus de Høye* & ibidem *Sarapa Theodoro de Monninghusen* / omniaque intuentibus, prope oppidum *Lubbecke* evertit domicilia, villas & ædificia rusticorum, segetesque conculcavit & in nihilum redegit. Et quamquam interea Episcopo nova orivetur lis cum *Tecklenburgico Comite Ottono* anno 1435. propter terminos ditionis & quorundam damnorum illatorum hinc inde causa, denique propter decimas, quas clero Osnaburgensi ademerat, tamen censuris Ecclesiasticis ita obstrinxit clericos per Comitatum morantes atque subditos, ut solverent decimas: præten- dit autem Comes fossas in loco *Hallerfelde* factas & evacuatas suæ esse ditionis & Comitatus, verum Episcopus ostendit totum locum Osnaburgensis ditionis esse & satis rigide defendit terminos terræ suæ: Durante adhuc bello quod gerebat cum *Alberto Hoyensi*, qui post *Wilbrandum*

dum factus est Episcopus Mindensis, multis militibus & subditis con-
niventibus accidit, ut suam fidelitatem præstare cogitarent Osnabur-
genses cives: Egressi igitur anno 1436. equestres & sagittarii vel bom-
bardarii urbis ductore *Henrico de Leiden* / Proconsule, & *Conrado de Mollenbecke* primario gubernatore, sperabant se repressuros adversarios
insolentiam. Sed quia jam conjunxerant se *Hoyensi Comiti fratre de
Slencen / Wilkinus & Joannes*, forti mox agmine obviam venerunt ad-
versarii Osnaburgensibus, qui divisim & separatim procedebant, circa
Wolborch / in Parochia *Venne* / hic *Conradus Mollenbecke* cum suis eff-
tandem è manu adversariorum eluctatus ad habitaculum vicinum se re-
cipiens, sagittisque hostes instantes vehementius repellens: *Henricus*
vero *Proconsul*, quoniam potentiores erant adversarii, propter adver-
sarios ad castellum tam subito pervenire non potuit, quia impediabant
ipsum & in eas perduxerunt angustias, ut tandem se illis captum trade-
ret. Is ita victus ducitur ad arcem *Slotelborg* / ubi carceribus gravissi-
simis est diu pressus, nec etiam prius liberatus, nisi cum postea *Ericus*
Comes ab Hoye Præpositus Coloniensis eligeretur in Administratorem nostræ
ditionis, qui illum dum urbem nostram gloriose ingrederetur, Comi-
tatus fratre *Johanne Comite*, pristinae libertati restituit.

Interea etiam Episcopo Joanni, cui fuit laboriosus Episcopatus suus,
damna intulerunt *Swederus & Hermannus fratres de Busche*, quibus qui-
dam Capitulares & alii militares patrocinantur clam, atque hoc no-
mine isti erant insolentiores erga Episcopum, ut à proposito non disce-
derent. Commotus Episcopus illorum morositate, auxilio & ope ci-
vium Osnaburgensium cinxit castrum *Gesnel* / obsidione, sed obsessio est
soluta intercessione amicorum cognatorumque & maxime *Decani Ho-*
gonis de Schagen / quoniam postea, ut rumor communis referebat, ven-
denti Episcopo ad curiam Episcopalem novæ civitatis, vicina istius cu-
riæ quædam nomine *Mettele de Schagen* / uxor *Arnoldi Rosters* / obtulit
reverenter & obsequiosè poculum myrthica Cerevisia plenum, (Sole-
bat enim hujusmodi potum coquere vendereque) quo sumpto leniter
statim Episcopus aliquod incommodum, dixeratque, Infelix mihi erit
ille haustus, qui mortis initia producet, &c. Ceperat enim statim in-
firmari & postea in die *Paraschæves* anno 1437. animam emisit: Et
multi mortuo Episcopo Romam se contulerunt celeriter, an vero spe-
rarent se impetraturos Episcopatum vel aliud, ignoratur: Venit autem
apud multos populares in suspensionem *Hugo Decanus*, quasi autor istius
ro

rei per cognatam notham transacta. Cum nova immineret electio & valde instarent multi pro *Erico* Eryci Comitis de *Hoya* filio, ipsique etiam Consules & Senatores urbis solliciti essent pro eodem (quod tamen inde fieri opinamur, quia adhuc Proconsulem *Henricum de Leiden* captivum tenebant fratres de *Hoye*) verum antequam consentirent in ipsum atque adeo huic *Erico* suffragia plerique Capitulares promitterent, symoniaca quadam pravitate, (ait *Ertwinus*) commoti voluerunt sibi prius ad vitam certa quaedam prædia Episcopalia sponderi, ratificari & assignari. Quamquam *Ericus* annueret istorum votis, quò perveniret ad ditionem illam, tamen postea electus, jure divino & humano rescindi istas obligationes curavit: Fuerunt interim, qui etiam sponte remittebant hujusmodi ratificationes sibi factas. Verum *Joannes de Varendorp* / Senior & Præpositus ad *S. Joannem* semel sibi addictam *molam* novi oppidi cum piscatura ibidem fluminis *Halse*, atque villam in *Malbergen* retinere voluit potissimum ob has causas, quod nomine ditionis & Episcopi interfuisset pugnae factae in *Haselholte* / atque ibi captivitati adjudicatus, se tandem magna pecuniae vi vinculis exemisset, itaque ad damnum istud resarciendum voluit sibi promissa servanda: Post mortem etiam istorum bonorum possessionem reliquit Capitulo ad *S. Joannem*, sed cum illis transegit *Conradus de Deipholte* factus Episcopus. Vix dum rexerat per quadriennium *Ericus* administrator, quin dissidia inter Capitulares orirentur Cathedralis Ecclesiae: Quidam ad locum disciplinae Canonicis istis proprium, dictum vulgo *up den Hoye* / deducti, in eo per annum detinebantur, idque fiebat prætextu quorundam assertorum futurorum (ut ait *Ertwinus*) (forsan furtorum) sub specie boni: Deinde Dominus Decanus *Hugo de Schagen* / vir animo elatus, multis de dilapidatione bonorum & *cleinodiorum* Ecclesiae suspectus, simultatem concipit in Seniore Canonico *Johannem de Varendorpe* / atque huic Decano fortiter se opposuit Senior: Itaque uterque quærebat Capitularium suffragia: Pendebant à Decano *Gisbertus de Wulfften* / Scholasticus, *Nicolaus de Bucraden* / Thesaurarius, *Joannes de Brincke* / *Hermannus de Monster* / *Egbertus de Herberen* / *Joannes de Kerssenbroeck junior*, *Hardevicus de Weddesche* / Archidiaconus in *Messe* / Canonici: Contra à partibus Senioris Ecclesiae *Varendorpii* stabant *Nicolaus Vos* / Archidiaconus in *Mersen* / *Joannes de Meppen* / Cantor, *Joannes de Kassenbroeck senior*, *Everhardus de Eychlo* / *Conradus de Bremis* / Magister *Gerhardus de Leiden* / Præpositus in *Bramesche* / & egregii Domini *Deihardus Sleiter* /

LL. Doctor, tunc Decanus Bremensis, & *Everhardus Sastrein* / Doctorum Doctor, Daventriensis Decanus & Archidiaconus Phrisæ, & Canonici Ecclesiæ Osnaburgensis, atque hi posteriores duo licet absentes essent, tamen fovebant partes Senioris: Senior cum suis dixit se posse Capitulum contrahere & representare, itaque Capitulariter decrevit mandata contra Decanum super distractione & alienatione cennodiorum Ecclesiæ, & aliis extra Ecclesiam factis, tum quod tanquam contumax, jam suspensus ab ingressu Ecclesiæ & à divinis, tamen compareret Decanus, qui interim appellavit ad *Concilium Basiliensium*, atque (ut illi vocant) refutatores Apostolicos reportavit: Adveniens tunc die cinerum anno 1441. quando unusquisque beneficiatus residens cogitur esse in processione per circuitum & in choro, prædictus Dominus Decanus licet à divinis suspensus esset, forsan de sua appellatione confidens cum suis complicibus chorum Ecclesiæ ingreditur, censuras Ecclesiasticas vili pendens. Hinc senior *Johannes de Barendorp* / cum quibusdam armatis viris, quos clam ad manum habuit, Decanum aggreditur, apprehendit & capit carceribusque diris includit: Decani vero complices Canonici hoc videntes aufugiunt, hic per fenestram choris alii aliò se recipiunt, quidam clausis valvis per Capellam, in qua jam sepultus est *Conradus de Deipholste* / Episcopus, effractis fenestris evaserunt: Et cum hæc apprehensio non sine sanguinis effusione fieret in choro, mox sacra celebrabantur in Ecclesia S. Pauli per Vicarios & Canonicos residentes & pendentes à Seniore: alii enim qui adhærebant Decano aufugerant ad cognatos & ad *Ericum Administratorem*, qui illos in suis partibus castris & præfecturis fovit, atque mox Seniore cum suis citavit ad arcem *Yborg* / verum illi repudiata citatione, quod administratore ratione juramenti sui non posset jurisdictionem in illos exercere, & quod locus esset suspectus neque competens ad hujusmodi causam, denique non haberet Capitula Jurisperitorum, non venerunt: Interim Ecclesia & Chorus Osnaburgensis premitur interdictione Ecclesiastica per Metropolitanum Episcopum Coloniensem *Theodoricum de Morfa*: Atque deinde novæ Tragœdiæ semina mox oriuntur. Quidam Canonicus Paderbornensis *Lubertus Westphal* nomine, expetebat Præposituram Osnaburgensis Ecclesiæ, atque commendatione cognatorum suorum *Svedini & Hermanni de Busche* / fiebat acceptus & gratus administratori *Erico Daventriensi*, eandem Præposituram in Romana Curia impetraverat per tres

tres sententias definitivas cum literis executorialibus, ut vocant: Itaque ille rogavit *Ericum*, administratorem ejusque fratrem Joannem Comitem de *Hoya* / suos cognatos (quoniam avia materna *Conradi* fuerat soror legitima matris *Erici* & *Joannis*, utraque *Ducissa de Brunsvic & Limenborg*) humiliter, ut ipsorum favore Præposituram sibi à Romana sede adjudicatam obtineret & consequeretur: Sed illi non habita sanguinis ratione, & quod vicini essent Comites, magis Domino *Luberto Westphalen* favebant: Cum autem videret Dominum Seniore *Joannem de Varendorp* / cum præsentibus Capitularibus inclinare in suas partes, cepit ipse armata manu executionem mandatorum sedis Romanæ exequi, atque ita ab eis possessionem Præposituræ obtinuit: eisque se contra Decani factionem conjunxit: Interim *Ericus*, Administrator, multa in Canonicos Osnaburgæ præsentis & civitatem ipsam hostiliter cepit agere, illatis damnis & abactis pecoribus: Atque licet hic se interponerent Consules & Senatus, & utramque partem ad pacem hortarentur, imprimis monendo Episcopum, ut restitutio fieret aut solutio damni illati, & quidem hoc semel impetrarent, quò solutio quorundam fieret, dicente tunc Domino *Joanne de Brinck* Canonico, hæc restitutio distrahet *Dominum & Civitatem*: tamen cum fratre *Joanne Comite de Hoya* / & profugis Canonicis & quibusdam militaribus cepit in ipsam urbem atrocius agere: Imprimis vero *Joannis Varendorpii* Senioris castellum hæreditarium in *Suthusen* impugnavit, abductis vaccis & reliquis jumentis, imo omnibus spoliavit pecoribus prædiâ & villas, quæ huic ut Præposito ad S. Joannem parebant: Hac de re Senior multum & vehementer Capitulo atque Senatui conqueritur: Illi vero scribunt ad Joannem Comitem, misso etiam aureo munere, ut ita placaretur, petentes, ut sua mediatione & intercessione res controversa ad concordiam redigeretur. Verum *Joannes* ad ferociam natus, ut erat bellicosus, magis hortabatur fratrem ad bellum, eique invito persuasit, ut suam ipse Ecclesiam & ditionem perderet: Ita nemini parcebatur ab eis. Nam & civium & Canonicorum pecora violenter abigebant Præfecti *Erici*. Citatus à Capitulo *Ericus*, pro more Cathedralium Ecclesiarum, ut compareret responsurus de objectis, oblato salvo conductu, venit quidem in urbem, sed mutata sententia de consilio quorundam consiliariorum, Capitularem non est ingressus domum, sed urbe relicta discedit: Factusque est publicus de hinc urbi & Capitulo hostis, emissis literis, *Joannes Comes de Hoya*; interim Consules cum Capitulo, cujus capita erant

Dominus *Conradus de Deipholste* Præpositus, & Dominus *Joannes de Varendorpe* Senior, arctissime se junxerunt & sæpe manifestam propulsarunt vim: Vix erant emissæ hostiles literæ à *Joanne*, quum mox circa collem, den *Slachterberg* in vicinia urbis cum sexcentis equitibus compareret & magnam abduceret secum prædam in arcem *Wittoge*: Etsi cives insequerentur prædatores, tamen cum diffidenter suis viribus & viderent se hostibus impares, regressi sunt: In omnibus tamen certaminibus & præliis urbis egressibusque reperiebatur Præpositus *Conradus Deipholdius*, ad singula alacer & strenuus. Vocant *Ericus* & *Joannes* per literas auxiliares manus *Alberti fratris Episcopi Mindensis* atque *Adalricum de Brunswic* / *Wilhelmi* & *Frederici*, qui advenientes cum magna militum & militarium copia, rursus solemniter amicitiam renunciant Præposito *Conrado Deipholdico*, Seniori *Varendorpio*, Capitularibus, & Senatui totique urbi, quod etiam ipse *Ericus* fultus tanta militum copia nunc primum quoque fecit, omnes igitur illi, qui in urbe erant, decernebant expectare tantorum imperum & evocatis nobilibus, multisque militaribus ex ditione *Monasteriensi* & *Comitatu Markensi*, stipendia decernebant, atque tunc quoque ipsis militabat *Mauritius Comes Spiegelbergicus* ac *Fredericus de Horde* / quem cives sibi ductorem delegerant: Itaque *Ericus* & sui prædia civitati & canonicis in urbe agentibus subdita invaserunt, incendio & prædiis perdiderunt, vaccis & pecoribus omnibus ad se translatis: Imo tantæ erant audaciæ, ut aliquando urbis vaccas carpentes gramina in pascuis vel prato vicino urbi dicto den *Wledder* abigerent ad præfecturam *Iburgici* castri: Quando oppidani etiam insequerentur prædatores, vexillum ferente *Joanne de Varendorpe* / verum propter noctem ingruentem, cum ad pagum *Dyede* venissent, regressi sunt illi. Putant nonnulli, quod si fuissent progressi, etiam spolia dividentes oppressissent hostes ex improvviso: Imo ipse etiam *Joannes Comes* semper tunc ad pugnam fuerat alacris, sed aliquoties dissuasus per *Joannem Klencfen* intermiserat: Interim quod ruri fuit relictum ex bonis & prædiis urbis & Præpositi utriusque omniumque oppidanorum, totum illud rapinis, incendiis & damnis in nihilum redactum est, & itinera urbis occupata sunt, ut nemo civium exire vel alibi se conferre posset. Itaque serio tandem ad arma conversi oppidani cum bombardis & bellicis instrumentis exierunt, ut castrum *Dastemow* obiderent, sed eis occurrerunt in vicinia castri hostes, multique sunt graviter vulnerati per sagittas & læsi ex oppidanis, ceciditque ibi egregius qui-

quidam Centurio ex Comitatu Markensi ortus, cujus viscera & ipsum cor bombardæ extractum è corpore omnibus patebat, ita semel isti, cum deinceps intelligerent adesse quoque *Duces Brunsvicenses*, cum selectis equitibus quingentis & egregia copia militum regressi sunt in urbem: Verum postea juxta dictum *Demosthenis*, vir fugiens denuo pugnabit, cum propter turpem reditum, malam apud suos inirent gratiam, pugnare cogitarunt serio, & collectis viribus post triduum præeunte præposito *Conrado* & Consulibus, cives sagittarii & stipendiarii ac fortissimi quique prodierunt, & productis armis bellicis recta se in *Dorsfenow* receperunt, ibique positis castris arcem & oppidum cinxerunt exercitu, atque fortiter aggressi oppidum per vim bellicis instrumentis ad deditionem cogentes oppidanos, ceperunt & expugnarunt, devastaruntque, atque ibidem gravissimum suum hostem *Joannem Comitum in Hoye* reperiunt, qui ascenderat Caminum Pastoris, ibidem latitans, quia metuebat furorem civium, sed extractus se sistit captivum utrique Præposito & Consulibus, idque factum est in die Reginae, atque hic dies est sacer postea habitus singulis annis Osnaburgæ ex institutione *Johannes Varendorpii* Senioris, qui ad hoc ordinavit Consulibus etiam & omnibus deinceps clericis isto die præsentias, &c. Facti jam cives & stipendiarii alacriores propter partam victoriam & præcipuo hoste capto, recta post superatum oppidum ad expugnationem arcis in *Dorsfenow* tendunt, & adhibitis bombardis gravissime oppugnant arcem, cum igitur videret Præfectus arcis *Wilhelmus de Wolde* miles & Centurio, quod tantam molem ferre non posset, nec tanto exercitui resistere, castrum vel arcem tradere illis decernit, modo ipsum cum suis salvos & incolumes abire permittant: Hac conditione suscepta, in Præpositi utriusque & Consulium manus pervenit castrum: Illaque victoria impetrata, cum captivis Comite *Joanne* & Secretario Domini *Erici Hermanno Hagete*, urbem ingressi, cum gaudio excepti sunt ab omnibus, & illi triumphantes urbem intrant, & captivos vinculis turris dictæ *den Bucl* tradunt. Postea recta se receperunt ad obsidionem oppidi & arcis *Jborg*. Cum ibi obsiderent oppidum per totam fere hyemem, tandem ceperunt & superarunt. Quo superato arci expugnandæ operam dabant: Et quanquam *Albertus Episcopus Mindensis*, qui erat frater *Joannis*, allatis cibis & obsoniis variis speraret se potenter pasturum esse obsessos, atque allaturum necessaria ad fortiter ferendam adversariorum expugnationem, denique magna hominum copia, & curribus vario

rio cibi genere atque calceis, quibus obsessi carebant repletis, immineret castro, tamen ita ab Osnaburgensibus fugatus est, ut tandem relicti & abjectis omnibus aufugerent, ita Osnaburgenses præter spem eorum ab hostibus subsidia consequuntur. Verum cum Dominus *Albertus de Herberen & Bruno Newilbe* / aliique viderent se vitæ necessarios destitutos, nec esse spem de illis aliunde consequendis, petivere salutem saltem corporis sui, & ita dedidere castrum Osnaburgensibus: Cum autem secundo castrum *Zborg* occuparent & possiderent, imposito præsidio, & istis jam, quæ in obsessione bellicis machinis convulsæ erant, restitutis munitisque, rursus victoriosi Osnaburgam ingrediuntur, & magno cum gaudio excipiuntur. Pergunt ita obsidione arces *Vorden* & *Witlage* premere. *Otto Doringeloo* / miles, dixit sibi castrum *Vorden* oppignoratum ab Episcopo *Theodorico de Horne* esse, & alia se damna pertulisse, quod si igitur sibi summa exposita pecuniæ cum expensis damnorum, redderetur, se facile traditurum arcem *Vorden* cui præerat, promisit, hocque ita factum est, & quidem non aliter egit *Wernerus Ehdranck / Satrapa in Witlage*: Cum igitur ad se transtulissent arces & oppida *Vorstennow / Zborg / item Witlage & Vorden* / & captivum haberent *Joannem*, discedentibus etiam illorum locis, cogitarunt de alio Episcopo eligendo, indignum reputantes illum Episcopatum, qui in suos cives, capitulares & urbem, quibus omnibus tamen juramento obstrictus fuerat, sæviisset: atque cum per Germaniam ad multos Principes, Comites, civitatum & urbium *Hansa* rectores, in hanc sententiam scripissent, eligunt tandem **HENRICUM** de **MORSA COMITEM**, *Episcopum Monasteriensem*, atque emissis nunciis significant electionem hujus & rationem rejectionis *Erici* Concilio *Basiliensi*, quod ratam habet *Henrici* electionem & comprobat iustis de causis alterius rejectionem: *Electus Henricus Monasteriensis in Administratorem Osnaburgensis Ecclesia*, mox arcem *Gronenberg* oppugnavit, & qua prior electione dederant arces & præfecturas, eadem nunc *Hermannus de Busche* tradidit Episcopo hanc: Huic arci præcipuum ex militaribus & stipendiariis civitatis præsidium imposuit adversus insultus *Alberti Episcopi Mindensis*, cum quo faciebant *Henricus Ledebur / Wernerus Ehdranck Hermannus de Busche* / ac alii militares: Postea cum ingenti exercitu novus electus obsedit castrum *Hunteborg* circa annum Domini 1442. in die Nativitatis Joannis, atque in ipsius tunc agebant castris Præpositus ipse Dominus *Conradus de Deipholste Comes*, atque Dominus *Narenburgensis* Se.

Senior ac Præpositus ad S. Joannem, nec non Consules urbis Osnaburgensis: quia extructis castellis & propugnaculis, fossisque adaptatis continuare cogitabant obsidionem, atque ita cunctis probe ad obsidionem aptatis, strenuè instrumentis bellicis, bombardis atque aliis machinis, cogere studebant ipsos, qui arcem occupabant, ad deditio- nem, sed id frustra, quoniam quidam *Gerhardus Dincf* qui adhuc super- est (ait *Erwinus*) gnarus artis natatorix & assuetus, profiliit in aquas, ut sub juncis & algis, aliisque herbis in aquis nasci solitis, tegeret caput, & clam omnia exploraret: Ille igitur diu hærens in vicinia castellorum & exercitus obsidentis arcem, multa didicit & cognovit: Ea referens ad suos, distulerunt deditio- nem, sperantes adhuc subsidium & *expectan- tes* copiam *Alberti Mindensis Episcopi*, qua redimerentur, sed cum ista spe frustrarentur, & jam valde bombardaram ictibus & fame premeren- tur in ipsa *Hymen* sævientibus vehementer quoque ventis ac pluviis, no- ctu clam, ignorante exercitu, arce discedunt, sicque Osnaburgensi- bus mane patuit arx, in qua repertæ sunt *bombarda insignita Mindensium insignibus & Comitum de Hallermundt*.

Interea apud omnes, quantum potuit, *Ericus*, quondam Admini- strator, tunc vero tantum Colonienfis Præpositus, opem implorat de liberando fratre, quia pecuniam, quam Osnaburgenses in recompensa- tionem damni petebant & exigebant, persolvere nequivit. Callide ergo prætendit, fuisse sub induciis fratrem captum, itaque contra jus ab eis actum: Eaque callidate detulit ipsos graviter ad Imperatorem, apud quem etiam multi Principes ac Heroes pro eodem intercedebant, & impetrato hoc, ut citarentur Præpositi & Consules urbis Osnaburgen- sis, coram Imperiali curia protulit literas induciarum emissas à Præpo- sitis & Senatu: Interim dum ipse *Ericus* hæc moliretur, capiebatur à *Comitibus de Hönstein* mox in arce *Laer* Principatus Thuringiæ, vincu- lis traditus, attamen per procuratores rem apud Imperatorem sibi fa- ventem prosequebatur, citoque autem se mille & quingentis florenis exemit carcere: Per Imperatorem Pronunciatur liber *Joannes Comes*, atque mandatur *Duci Julia ac Landgravio Hasfia*, ut ipsum eximerent vinculis. Interim *Consules & Senatus* provocant ad *Concilium Basiliense*. Illam appellationem ad Concilium, in quo causa committebatur duo- bus Cardinalibus, non curavit Imperator, sed executionem persequen- dam voluit. Itaque contra omnes cives & incolas seculares vel laicos urbis, exemptis pueris & septuagenariis, bannum Imperiale tulit cum

aggravatione majori vulgariter dicta, *Uchte und Auerachte*: Atque hic rursus appellatum est ad Concilium, interim cum omnibus Principibus, Comitibus, Baronibus & civitatibus præciperetur, ut nullibi locum tutum Osnaburgensibus concederent, sed victos apprehenderent & custodiis traderent, præmissa Executio Imperialis facta est Colonia, ubi *Hermannus Smediger* & *Hermannus Permeterer* capiebantur: Et in ista semper processum est donec Episcopus fieret *Conradus de Dippolste* Comes ex Præposito, atque deinde *Johannes Hoyensis*, nostræ urbis olim victus, duceret conjugem *Ottonis Comitis Deipholtiani* filium, quorum tandem favore ego (ait *Ertvvinnus*) absolutionem ab Imperatoria Majestate impetravi & securitatem civitati Osnaburgensi.

Cum vero occuparet jam arces ditionis Osnaburgensis *Henricus de Morsa*, Episcopus *Monasteriensis*, & adhuc illi molestus esset Episcopus *Mindensis*, compescuit illius petulantiam equitibus & ex urbe Osnaburgensi peditibus in agros oppidi *Lubbeckensis* productis, atque deinde ex arce *Gronenberg* vocavit stipendiarios & præsidarios milites, quibus præfuit *Ludolphus Nagel* & sic ad pugnam omnia adornavit, sed territus *Mindensis* cepit aliquanto mitius agere, & pacem offerre. Coactus igitur ille comparuit coram *Henrico Morsensi in arce Sassenberg* prope oppidum *Warendorpum*, & per sacra Evangelia juravit, se nihil posthac tentaturum contra Osnaburgenses, id est Præpositos duos, Capitulares & diæcesanos atque Senatum & cives urbis, vel contra Episcopum & Ecclesiam *Monasteriensem*.

Cum vero hic *Henricus Præsul*, quendam civem *Monasteriensis* urbis, dictum *Stromberg* / de falsitate monetæ suspectum apprehendi & custodia tradidit in castro *Sassenberg* præciperet, ægerrime hoc tulerunt Consules & Senatores *Monasteriensis* urbis, prætendentes sua privilegia, quibus sibi confirmatum asserebant, ne quisquam suorum apprehenderetur à Principe, sed ut Princeps illum coram Senatu urbis accusaret, contra quem actionem institueret. Itaque perseverante in sua sententia Episcopo, ductore *Gerhardo Kleihorst* / urbis Consule, opposuerunt se *Henrico Præsuli Senatus civesque*, & facta confederatione vel conspiratione cum nobilibus & militaribus totius ditionis, Principi suo, atrociter minantur. Interim Præpositi, Capitulum & Senatus urbis Osnaburgensis ingerunt se inter dissidentes, & petunt per literas à Senatu *Monasteriensi* & equestribus viris ditionis, ut depositis armis sese submittant: Promittuntque nostri, se hoc apud Episcopum effectu-

ros, ut ab illo fiat, quod ordo juris & rationis exegerit. Interim illi contempta ista petitione varia contra Episcopum tentant. Sed tunc movit bellum *Susatensis*, qui ab illo ad *Clivensem Ducem* defecerant, frater Episcopi *Monasteriensis Theodoricus de Morsa*, *Archiepiscopus Coloniensis*, qui tandem productis *Bohemis*, *Misnensibus*, *Saxonibus & Thuringis in Westphaliam descendens*, primo *Lippiensi Comiti Bernhardo*, qui stabat a parte *Clivensis Ducis*, (cui quoque *idem Comes resignaverat dimidiam partem domini in civitatem Lippiensem*) multum damni dedit, exusto oppido & arce *Blomberg* & deinde progressus, *Lemgoviam* in suam redegit potestatem imperata pecunia, similiter & *Hervordiam*, tandem urbem *Lippiensem* oppugnat, sed cum nulla esset spes pervim istius oppidi capiendi, tum quoque ne robur exercitus frangeretur, si oppugnando aliquid tentaret, progreditur ad *obsidionem Susatensis urbis*: Interim peregrini populi *Bohemi & Misnenses* erant terrori totius *Westphaliæ*. Quare tunc *Monasterienses Senatores*, cives & cum ipsis confœderati militares facile intermittebant, quod contra Episcopum agere inceperant, hoc est, confœderationes in nihilum redigebant, & priori sese subdebant obedientiæ, quoniam frater *Theodoricus Elector* minaciter *Monasteriensibus* scripserat.

Fratrem Electorem oppugnantem urbem *Susatensem* fortiter juvit *Henricus*, Episcopus *Monasteriensis & Osnaburgensis Ecclesiæ Administrator*, contractis ex utraque ditione validis copiis, & cum ipse *Henricus* esset in oppugnatione, & jam defecisset prostratus in fossas, à forti & animoso cive *Osnaburgensi*, dicto *Gildemann*, extrahitur non sine summo periculo, atque impositus ipsius humeris ad castra reportatur, &c.

Venerat tunc *Wilhelmus*, *Saxoniarum Dux*, *Thuringiarum Landgravius*, ac *Marchio Misnia*, ut diximus, cum valde copioso exercitu *Bohemorum*, *Misnensium* ac *Saxonum Thuringiorumque* ad urbem *Susatensem* expugnandam, is in castris vel propugnaculis circum *Susatam* extructis, in vexillis suis insignia *Imperatoris* circumferebat: Atque ex commissione *Imperiali*, ut dixit, scripsit *Osnaburgensi Senatui*, ut sine ulla mora liberarent *Comitem Joannem* vinculis, illumque in castra mitterent liberum & restitutum: Hoc nisi statim fieret, se *Imperialis sententiæ* executionem fore strenuum, & armis violentaque, manu liberaturum *Comitem*: *Osnaburgenses* mox per legatos in castra missos *Henricum de Leiden Consulem*, *Godescalcum de Anctum* & *Gerhardum de Leida* (forsan *Senatores*) & alios consulebant Episcopum suum *Henricum*, & petebant, ut, com-

municato consilio cum fratre Electore, responderet, quid faciendum esset: Ibi nihil aliud suadebant uterque frater & plerique alii, quam ut parerent Saxoniae Duci. Cum igitur non satis esset munita urbs, nec tantae resistere posset multitudini, neque sibi quoque prospexisset de annona & victu, atque interim hoc simul expenderent Senatores, quod ipse Comes Joannes se tribus millibus aureorum nunquam redimere posset, illisque molestum fore amplius detinere Comitem, de quo non erat spes quod se eximere vinculis certa pecunia posset, concluderunt dimittendum Comitem Joannem: His ita consideratis dimiserunt Comitem, jus postliminii eidem praestantes, & adjunctis suis ministris deduxerunt in castra, quem etiam excepit & simul deduxit Ottho, Comes in Tecklenborg, Joannis Sororius, donec Susato appropinquaret.

Tandem Henricus cum per annos 10. praefuisset Osnaburgensi ditioni, mortuus est in Alhus/ & tunc denuo fortiter institit precibus & minis simul pro recipiendo fratre Erico Comes de Hoye Joannes: Ne igitur malum oriretur novum ditioni, intercessione Senatus & militarium, repudiato Erico, vocarunt fratrem ejus Albertum in Administratorem (puto hunc fuisse Mindensem Episcopum) quod placaretur Joannes, Albertus jam electus misit pro confirmatione impetranda Romam, virum doctum & experientia rerum praestantem Dominum Lambertum de Breyden Ecclesiae Majoris Canonicum & ad S. Joannem Praepositum atque Officialem Curiae Mindensis: Interim Papa Albertum confirmare recusavit, quod Erico legitime deposito, & postea in ditione Monasteriensis omnia turbanti auxilio fuisset, nuncque se minis in istius Ecclesiae administrationem ingessisset: Praefuit tamen per 3. annos Ecclesiae, & sub illo floruit pax mediocriter, nisi quod Comes de Lippia oppidum Welle/ non praemissis literis, quibus indici solet bellum, clam invaderet & spoliaret, & idem anno 1454. moturus bellum Tecklenburgico propter arcem Rhede/ molestus esset coenobio Monialium in Hassenbrocke/ &c.

Hic desinit Ertwini Chronicon.

APPENDIX ADJECTA,
Qua Reliquorum Episcoporum Osnaburgensium
gesta breviter describuntur.

Speſtatis & Eximiis Dominis,
Domino JOHANNI VOLMARO, Decano,
& reliquis Canonicis ac toti Collegio:

Necnon ſynceris,

Integritate, Prudentia & Honeſtate preſtantibus Viris,
THEODORO & OTTONI DRUSSELI
Conſulibus, totique Senatui ſapienti in urbe

Widenbruggenſi,

Quæ eſt ditionis Osnaburgiæ in Weſtphalia, &c.

Suis Dominis Colendis,

HERMANNUS HAMELMANNUS,
Osnaburgenſis & Licentiatus S. D.

Eſt urbs Widenbruga non ſolum noſtra Osnaburgenſis ditionis eximi-
um ornamentum, ſed etiam inter oppida Weſtphaliæ ſplendida, quan-
tum ad munitionem, politiã & integritatem attinet, non certe in ſima
vel poſtrema. Nam ut in hoc Chronico videre licet, antiqua eſt veſtra civi-
tas præ multis aliis, Venerandi Domini & celebres Proceres, atque olim à Ca-
ſaribus emporio & monetis cudendis, ſub Episcopi tamen auſpicio, donata eſt.
Hoc cum ita ſit, atque ſimul Episcopi Osnaburgenſes, quorum hic vitam ac res
geſtas deſcribo, fuerint ſemper urbis Widenbrugenſis Domini ac Principes,
imo ipſius etiam collegii fundatores, promotores & reformatores, præſertim D.
Bruno Iſenburgicus & D. Balduinus de Ruſſel / Episcopi, ut in his libris
quatuor, quorum duo ex Krantio à me editi ſunt, & jam reliqui poſteriores
duo ex Ertwino de rebus Osnaburgenſium publicantur, videre licet: volui
quoque iſta, qua Appendicis vice ad Ertwiniani Chronici Epitomen, ut ut
tenuia & exilia adjeci, V. D. ac P. Venerandi ac Prudentes Domini ſimul inſcri-
bere, imo potius hic quadam de veſtra urbe dicere, V. D. & P. urbs & colle-
gium ſub illo certamine, quod noſtrates, id eſt Osnaburgenſes, habuerunt.

cum Possessoribus & heredibus Domini ac arcis in Rhede per plurimos annos
 propter terminos & fines, multa quidem passa sunt, multum etiam opera inter
 re Principibus nostra patria præstitisti. Si quoque ad Parum secula recurre-
 mus, ab initio olim cum adhuc Lippienses Comites essent possessores ejus-
 dem Domini in Rhede / atque postea illud ad Tecklenburgicos per-
 ptias, teste Ertwino, transferretur, & deinde Lippiensis Comes Ber-
 hardus, certis postea de causis certaret, pugnaretque cum Nicolao Comite
 Tecklenburgico, in vestra urbis vicinia, longo tempore, durante bello
 & controversia semper vos fuistis in discrimine, atque adeo periculis in
 vestra urbs, ut etiam tunc victor Tecklenburgicus, (qui centum & quin-
 quaginta ex Lippiensibus, inter quos militares erant Arnoldus de Dorch
 Ludolphus Igenhusen / &c. in illo bello ceperat) postquam in Widenbr-
 gensen urbem majores vestri excepissent Bernhardum Lippiacum, pri-
 sum, & hospitium aliaque obsequii & benevolentia officia reverenter eidem
 suo, ut dixit, hosti præstitissent, ignitos globos in vestra aedificia emittere, at-
 que plateam, dictam de Wassertrasse, exureret: nec dum percepto isto damno
 vestra Respublica tranquillitate potuit frui, qua semper, durante ista similitate,
 dissidio & controversia inter istos Comites, difficultatibus implicita fuit. Quo-
 niam etsi tunc quadam iniretur ratio concordia inter istos Heroes, atque vin-
 cti libertati donarentur, tamen recruduit semper ab utraque parte ista concer-
 ratio, ut interdum utrobique sibi damna inferrent non sine incommodo vestro.
 Itaque res ad arbitros rejecta est, id tandem urgentibus & intervenientibus
 vicinis Comitibus: Ita constitutus est inter illos iudex noster Episcopus Olna-
 burgensis, Conradus, Comes Retbergicus, qui convocavit omnes ad ve-
 stram urbem: Indiela die, Ertwino Consule Osnaburgensi verba faciente
 nomine Episcopi, apud vos presentibus Comitibus de Hoya / Diepholt &
 Retberg / qui erant generi Bernardi, Comitis de Lippia, & suis filiis Si-
 mone & Bernhardo, est finaliter sopita lis & compositum dissidium inter
 Bernhardum Lippiacum & Nicolaum Tecklenburgicum, &c. Quod
 etiam est vestra urbi gloriosam. Interim ex variis istis molestiis, pugnis &
 certaminibus hoc præmii consecuti estis, Eximii & humanissimi Domini, ut
 munitam habeatis urbem, qua etiam flumini Westphalia celebri & anti-
 quisimis olim Scriptoribus noto, Amali, cingitur & ornatur. Itaque dicit
 vestram urbem, postremam inter Westphalicas haud quaquam reputandam:
 Addo, quod apud vos sub bello Retbergico ante septenni. m. Consilarii Illustris-
 simi Principis Juliaci, ac reliquorum Heroum, Comitum, Dominorum ac
 Urbium ordinis & Provincia Westphalica locum idoneum delegerint, ubi com-
 muni.

munificandi consilii causa convenirent, & toto belli tempore hererent, unde quoque aliquid celebritatis & vobis & vestra Respublica accessit: Jam olim ab antiquo gavisus est politia vestra & vestri cives veteri simplicitate, interim prestantes viri inde à Patrum seculo fuere in Consulatu apud vos: Prudentes & integerrimos fuisse viros (quorum plerique haud vulgari doctrina tincti & ornati fuerunt) audio, nempe Gerhardum Franckeveldium, Joannem Wordenum, Joannem Druffel / Ludolphum Pagedarmium, Hermannum Holscherum, Otthonem Velmarum, Conradum Wordeman- num, Joannem Sletbrugium, Consules apud vos omnes, item illum Consu- lem Joann. Kipeum dictum Gervium, qui adhuc in magno senio superest, &c.

Cum vero vestra urbs tam benigna olim fuerit erga hunc Lippiae Comi- tatum, in quo nunc versor, & simul in Generosos Comites Lippienses, pra- sertim Bernhardum illum magnanimum Heroa, & deinde ex vestra urbe natus fuerit Joannes Pagendarmius, Praepositus in Overenkercken / qui in istius praedicti bellicosi Bernhardi Lippiaci Aula claruit, atque ipsius etiam frater Paulus Pagendarmius adhuc vivus in hac urbe Lemgovien- si, in qua ego Ecclesiastes jam per annos novem fui, Senatorem ad annos fe- re 50. egerit laudabiliter, cujus ex fratre nepos etiam Johannes Pagendar- mius, vir industrius & praestans hodie apud vos praecipuum in Senatu locum habet, utpote qui antea Judex fuerat, denique ex hac rursus urbe oriundus Christianus Wippermannus, vir certe praecipuus & isto loco dignus apud vos quoque ante paucos annos Consulatum gesserit, non potui omittere propter istam communionem urbis utriusque, hoc est, nostrae & vestrae, quin de his rebus apud posteros testarer, tum ut vestra Respublica pristina in Lippiaci Comitatus alumnos benevolentia innotesceret, denique ut ad historiam Osnaburgensem hac de vobis referri & anumerari possent, qua relatione digna erant. Sita enim est in ditione nostrae patriae & dominio Principis Osnaburgen- sis subest vestra Resp: Censui ergo V. D. ac P. ornatisimi Domini, memoriam chartis committendam esse, ne illa periret, sed suum locum & dignitatem in Chronico Osnaburgensi haberet. Hoc consilio hanc Epistolam, qua est quasi historiola quaedam de vestra urbe, ad V. D. & P. mitto, alioqui certe puduisset me, & profecto indecorum fuisset, tam parva, hoc est, saltem Appendicem pau- cis foliis comprehensam V. D. & P. dedicare. Spero igitur meum institutum vobis gratum fore. Valeat V. D. & P. Lemgoviae Comitatus Lippiae 7 Sep- tembris, qui est dies Reginae virginis, quo die patrum seculo ceperunt suum generosum & magnanimum hostem in Berstennow Osnaburgen- ses, ut in superioribus foliis dictum est.

EPITOME.

Post Albertum impetravit RUDOLPHUS, de Deipholte Comes, & Trajectensis Episcopus (cui ut scribit in Saxonia libro II. capite 27. Krantius, fuit laboriosus Episcopus semper, licet esset pius & timens DEUM, teste eodem Patruus Conradi de Deipholte Comitis, Præpositi Osnaburgensis, & Ecclesiam Osnaburgensem, etsi jus possessionem non adipisceretur, &c. an vero ille resignaverit, quia hic finiunt Chronica Domini Conradi Erwini, ut dixi, ad manus nepotis Conradi Præpositi de consilio Capituli, Episcopatum Osnaburgensem, plane ignoro, (quanquam considerem Rudolphum vita functum morteque præventum atque quam administratoriam illam Episcopatus nostri functionem conlueretur & susciperet) interim ille antequam Trajecti fieret Præpositus, adhuc existens Præpositus Osnaburgensis, multa egit fortiter pro nostra patria contra Mindensem Episcopum Wilbrandum & Comitum in Deltmehorri. Certum tamen est, quod ilius nepos Conradus suo patre successerit, & tranquillissime per multos annos Episcopatum Osnaburgensem possederit, quem etiam legitime electum referunt annales: Hic, quæcumque olim erant turbata, refecit & in ordinem redexit, nihilque intantum reliquit, quod ad pacem, publicam utilitatem & ordinem in politica & Ecclesia servandum requirebatur. Cum autem per annos 27. laudatissime gubernasset patriam nostram, tantum semel in initio sui Præsulatus gerens bellum contra Mindensem Episcopum, quem facile repressit, placide ex hac vita discedit: Virtutes multas, ut prudentiam in rebus, integritatem in regimine, simplicitatem in potentia, humilitatem in dignitate, benevolentiam erga afflictos semper exercuit hic Conradus. Illo demortuo anno 1482. electus est Abbas extra urbem, sed qua de causa id ibi factum sit ignoro, in locum sui Successoris CONRADUS de REBENGE. Hic arces munivit & restituit in diversis locis perditionem. Sub hoc Episcopo seditio orta est Osnaburgæ, civesque concitati sunt, ductore quodam Leuerwido in clerum (nam regulis multis suos agellos cinxerant Canonici præter morem, & ita oppidanis vaccis, tempore messis, transportatis de-

mum ex agris frugibus, aditum præcluserant, quò minus decerperent pabula) citra veterem consuetudinem privantem agrorum & camporum libertate & fructu cives, atque propter luxum scortorum & concubinarum Pontificiorum, quas suis nolebant adæquari vestitu uxoris, sed potius ipsas signo quodam notatas prodire volebant, ut tandem haberetur ratio distinctioque esset honestæ matronæ & rursus turpis scorti. Hic tumultus fuit anno 1488. & duravit fere in annum 1490. quando *Lenetunus* ille captus capite plecteretur ut seditiosus, quanquam causam suam, præsertim posteriorem de concubinis, pii quidam æquam esse censeant, quia illa est scripturis consona. Et certe in isto casu pueriliter, vir alioqui valde prudens, *Errvinius* se gesserat, dicendo, multas forsitan ex civium uxoribus posse quoque esse tales, quibus aliquando abusi essent Papistæ, itaque hoc omittendum. *Conradus* primo fuerat aliquantulum pomposior, sed cum istius pompæ finem secum consideraret, nec sibi sufficere ad istos amplius faciendos & continuandos redditus Episcopales cognosceret, redegit suos in ordinem, & contraxit aulam in pauciores; constrinxitque se & suos, deinde egressus est in *Poloniam, Daniam, & Markiam Brandenburgicam*. Cujus rei hæc fuit ratio, quod studiose paucis Comitatus aliquandiu abesse & peregrinari voluit, donec illud refarciri posset damnum, in quod negligentia quadam & luxu inciderat. Pacificè rexit ditionem, & adornatis plurimis structuris magno sumptu in arce *Dorstenorv & Vorden* profuit ditioni: Arcem *Zborg* ex integro ædificavit, *Widenbrugum*, oppignorum aliis, suo ære redemit, &c. Postea vocatur etiam in *Monasteriensem Episcopum*; tandem anno 1508. moritur, cum per annos 26. *Osnaburgæ* feliciter Ecclesiæ præfuisse, sed per annos 16. ut Episcopus, per annos vero 10. ut Administrator, &c.

Succedit *ERICUS de GUNDENHAGEN* / *Brunsvicensis Dux*, atque is animosè & pacificè gubernavit ditionem, severus in malos, benignus erga bonos. Hic cum *Monasteriensi Præsule & Comitibus de Lippia, Schowenberg / Oldenburg & Retberg* cinxit arcem *Tecklenborg* propter captum patrem à filio, anno 1514. Ita liberatur pater, &c. Huic etiam, quia erat quoque *Paderbornensis Ecclesiæ Administrator*, factus est in posterioribus sui Præsulatus annis hostis vir quidam, dictus *Baemhermann* / qui multum damni incendiis dedit rusticis & villis per

M m m m

diti-

ditionem Paderbornensem, verum cum jam factus audacior & securior, quoque Osnaburgensis terræ (cum qua tamen nihil illi negotii erat, nisi quod *Ericus* simul ibidem Princeps esset) hostem se declararet, & in ignota regione versaretur imprudenter, est tandem cum suis interceptus cum sociis & exustus in loco *Stalbrink* / sed post mortem *Erici*, &c. Moritur *Ericus* anno 1531. in *Borslemow*. Sed ante ejus mortem fuit Osnaburgæ magnum incendium tam in veteri quam in nova urbe anno 1530. die Jovis post Pascha, &c.

FRANCISCUS, *Waldechianus Comes* pius, factus *Osnaburgensis* post *Ericum* Episcopus, multum habuit negotii in restringendo motu *Anabaptistarum*, etiam per ditionem Osnaburgensem: Huic contigit controversia cum *Comite Tecklenburgico* propter fines & terminos utriusque provincie, atque molam aliquam, deinde de pago *Guterslo* diffabant: Itaque semel vaccæ abigebantur (quo anno factum id sit, ignoro) *Tecklenburgicis* per sagittarios *Osnaburgensis* urbis, quæ tamen præterito biduo reddebantur rusticis: controversiam de pago *Guterslo* / putatur adhuc in hodiernum diem nondum sopitam esse: Quid præterea ditioni & urbi Osnaburgensi acciderit sub hoc Præsule à *Philippo Brunswicensi Duce*, *Philippo Eberstenio Comite* & *Christoffero Frisbergo*, diversis temporibus arma & exercitum ducentibus in ditionem Osnaburgensem, *Sleidanus* annotat libro 18. & 24. Verum Episcopus anno 1557 turbatus ita ex ditione Osnaburgensi per *Ducem Philippum*, qui hoc prætenderat rationis, quod opem *Landtgraviæ*, opprimenti suum Patrem *Henricum Brunswicensem*, tulisset Præsul, &c. mox moritur in *Wolbeck* / arce ditionis Monasteriensis, atque ei in Osnaburgensi Ecclesia substituitur Inclytus & doctissimus COMES de *JOYI* JOANNES, nepos ex sorore *Gustavi*, *Regis Suecorum*, &c. Hic propter conditionem in initio sui Episcopatus est in Præsule *Camera Imperialis* assumptus. Sub hoc passi sunt Senatus & cives urbis Osnaburgensis per aliquot annos varia certamina à publicis suis hostibus, *Hillebrandis* nomine, propter testamentum quoddam *Vidua*, & deinde à militari, dicto *Grothuß* / qui propter molam eis molestus erat. Sed ipsorum insultibus exempta est Inclyta civitas & bona pace fruitur nunc.

Superiori anno 1563. in castris fuit *Regis Danorum Frederici II.* pugnantis contra Suecorum *Regem Ericum Gustavi filium*, Episcopus Osnaburgensis.

naburgensis *Joannes*, cujus rei hanc afferunt quidam causam, quod dotem maternam adhuc nondum consecutus esset Episcopus, &c. Sed hoc ex vulgi rumore, non tamen pro certo affirmo, &c.

Hæc est *Historia Osnaburgensis*, quam absolvi Lemgovia, anno 1564. in die Barnabæ Apostoli, qui fuit 11. Junii, Dominica 2. post Trinitatis: quando esset prædictus Dominus JOANNES; COMES de HOLL & Brochusen / Episcopus Osnaburgensis Ecclesiæ, atque ejusdem Præpositus Justus Dincklagius, Decanus Joannes Smisingius, Senior & Theaurarius Conradus Keilerus, Cantor Gisebertus Buddaus, Scholasticus Fredericus Smisingius, &c. Cancellarius autem Episcopi Doctor J. U. Servatius ab Eick / Colonienfis, Intimus ejusdem Consiliarius Joannes Welsdige / Lippensis Præpositus in Endorpe: Satrapæ quoque ejusdem Principis, LL. Licentiatus Hermannus ab Amelunxen in Gronenberg / Franciscus Luninck in Dorstennore & Borden / Aschius de Langen in Zborg / Casparus à Varendorp in Witlage & Hunteborg / N. Friedag in Neckenberg prope Windenbrugum: Consules vero urbis jam antea nominati, Ludolphus ab Hosten / Everwinus à Dumpstorp / Henricus Lotmann / Præfecti ærarii ibidem vel pensionarii, Hermannus Harßwinckel / & Rudolphus Hammakerus, deinde Secretarius & Senator Christofferus Gerenbergius, Lagus, &c. Exemplar Chronici Ertwiniani, quo usus sum ad hanc historiam contexendam mihi communicavit Christofferus Glasemakerus, civis Osnaburgensis, &c. Filius DEI protegat & defendat ditionem & urbem Osnaburgensem, dulcissimam patriam meam. AMEN.

De Ertwino brevis Relatio.

ERTWINUS non ex magnis ortus natalibus Osnaburgæ, sed virtutibus & eruditione nobilis, ita crevit, ut nunquam Consul fuerit majoris authoritatis in tota Westphalia: (hoc enim confidenter dico) Fuit Bentheimensibus, Deipholdicis, & aliis Comitibus gratus, qui ipsius consilio utebantur & ab illo pendebant: Et deinde apud Episcopos Monasteriensis, ut JOANNEM Ducem Bavariæ, Henricum Schovartzburgicum

gicum, & Conradum Reibergicum, in pretio: Nostri Episcopi Osnaburgenses ipsum tanquam numen venerati sunt: Fuit charissimus & intimus CONRADO Deipholtico Episcopo, CONRADO item Reibergico qui & Monasteriensis erat, præcipuus semper fuit orator. Ipse ablegatus ad Cæsarem impetravit ab eo absolutionem gravaminis, quo pressa erat civitas Osnaburga propter Joannis Comitis Hoyensis captivitatem. Multo tempore utiliter profuit patriæ consiliis: Hansæ circum proceribus erat formidabilis propter prudentiam, consilia, eruditionem & facundiam, & multis aliarum splendidissimarum urbium Rectoribus perlatus est in conventu Hansæ. Vixit diu & admodum senex in Consulatu usque ad annum, nisi fallar, post sesquimillesimum sextum.

